



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1720

Titulus III. De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur promittatur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73982)

68. Cedi invito reo accusatore petente intra 30. dies à tempore institutæ accusationis computandos; si res adhuc sit integra, id est, si reus nihil injuriæ, v. g. carceres; tormenta, verbera, cænas sustinuerit, nec testibus illata tormenta. l. 3. de abolit. Lauterb. l. c. citans Christianæ, vol. 4. decis. 205. n. 3. Sed, si res non sit integra amplius, tunc demum reo abolitio conceditur, si 30. dies à facta accusatione passus sit effluere, Lauterb. l. c.

7. Resp. quintò, Abolitio accusationis fieri potest respectu omnium criminum in specie non exceptorum, qualia sunt crimen læsæ majestatis, patriæ oppugnatae & proditæ, peccatus, sacramen-

ti militiæ desertio, aliæque quæ immediatè in reipublica detrimentum vergunt, item, quæ L. Julia de vi publ. referuntur Lauterb. l. c. §. 9.

6. Resp. sextò: Finis & effectus absolutionis est, ut accusator impunè desistere possit ab accusatione, neque ex L. Julia talionis, aut ex S. C. Turpill. teneatur, l. 4. §. 1. ff. h. t. l. 1. §. fin. ff. de accusat. Item quòd idem crimen ab eodem in eundem restaurari nequeat, l. 2. l. 4. §. 1. l. 1. §. 3. ff. h. t. l. 6. c. de his, qui accus. non poss. nisi specialiter à Principe abolitionem abolitionis impetraverit. l. 2. c. de abolit. vel nisi ex falsa causa abolitio fuerit impetrata.

TITULUS III.

De Simonia, & ne aliquid pro spiritualibus exigatur vel promittatur.

CAPUT I.

De Simoniæ origine, natura & varietate.

Quæst. 68. Simonia unde sic dicta, quid sit seu qualiter definiatur?

R Esp. Simonia nomen sortita est à Simone mago, eò quòd is primus tegè nova jam per Apostolos promulgata hoc crimen admisisset. Act. 8. v. 20. dum potestatem conferendi Spiritum Sanctum pecunia tanquam pretiò emere intendit; tamen si aliàs in lege veteri à pluribus commissum, puta à Balac Rege, Num. c. 22. pretio conducente Balaam ad maledicendum populo Israël; & Jafone, 2. Machab. §. cum pro Sacerdotio obtinendo ab Antiocho Rege, plura talenta obtulit; à Juda 30. argenteis vendente & tradente Christum, ut hæc referuntur can. qui studet, can. 1. q. 2.

2. Resp. ad secundum: Definitio solet Simonia à Canonistis cum Gloss. communiter recepta ad rubr. h. t. & à Theologis ex D. Thoma 2. 2. q. 100. a. 1. quòd sit studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, aut spirituum annexum, vel etiam cum Suar. Tom. 1. de Relig. l. 4. c. 1. n. 7. quòd sit sacrilegium commissum emptione aut venditione, seu quovis contractu, quo spirituale ut tale pro temporali commutatur. Dicitur primò: voluntas, causa accepta pro effectu, nimirum voluntaria actione, quæ ab illa procedit, denotaturque hoc ipso includi Simoniæ mentalem; cum non actione solum externa, sed & mente compleatur, spe nimirum & cupiditate obtinendi spirituale ex præstatione alicujus temporalis, ita ut jam opus non sit addere in definitione, opere secuto, ut volunt quidam Canonistæ, præsertim, cum id ipsum etiam exprimitur per vò vendendi & emendi. Ita Suarez l. c. l. 4. c. 1. n. 9. Azor. p. 3. l. 12. c. 1. q. 1. Pirh. h. t. n. 1.

3. Dicitur secundò: studiosa voluntas, id est, plene deliberata & non per ignorantiam procedens; cum nulla formaliter sit Simonia & peccatum, quæ non procedant ab actu interno libero. Azor. Pirh. l. c. l. 2. de just. c. 32. n. 3. De cætero, an ex parte illius, qui fidei promittit spirituale pro temporali, vel e contra temporale pro spirituali, etsi committat peccatum scandalosè, imò & sacrilegè mentiendo, non tamen committit Simoniæ, tenent aliqui, committi verò sustinet Navar. ad c. fin. h. t. n. 10. apud Wiestn. h. t. n. 18. eò quòd mediante

promissione rei temporalis, licet fida, intendat alterum obligare ad dandum spirituale.

4. Dicitur tertio emendi & vendendi, latè accipiendo hæc nomina pro omni contractu non gratuito, sive oneroso & reciproco: in quo datur vel præstatum temporale quid pro spirituali, tanquam hujus pretium, seu in compensationem illius, sive sit vera emptio & venditio, sive sit permutatio, transactio, locatio aliùsve contractus innominatus, do ut des, facio ut facias; & omnis pactio expressa vel tacita, ita ut etiam comprehendantur nominatio, præsentatio, electio, confirmatio, institutio, renunciatio, remissio similesque actus, si non fiant gratis. Item ut Pirh. cum Azor. cit. c. 1. q. 11. omisso similibus actu, ut dum quis accepto pretio omittit aliquem ordinare, eligere &c. in quorum singulis qualiter committatur Simonia dicitur infra.

5. Dicitur quarto: Aliquid spirituale, ita ut in hac definitione accipiatur spirituale pro merce, dum pro eo obtinendo datur vel præstatum temporale, & vice versa pro pretio, si pro obtinendo temporali datur spirituale, atque ita spirituale necessario temper sit subjectum sive objectum pacti Simoniæ. Porro spirituale hic non sumitur pro incorporeo, ut sunt angeli, anima rationalis, sed pro aliquo supernaturali, & ad spirituales animarum salutem, vel ex institutione divina, vel ex destinatione Ecclesiæ ordinatum. Ut Nav. man. c. 23. n. 99. Suar. de Simonia c. 8. n. 6. Less. l. 2. de j. & j. c. 35. n. 5. Horum spiritualium quædam sunt talia formaliter, puta gratia sanctificationis, gratia gratis data, considerata quasi in habitu, virtutes Theologicæ & morales infusa, donâ Spiritus sancti, character per sacramenta impressus animæ. Unde etiam Simoniæ committere, qui Seryum Christianum vel sacerdotem, ideo præcise, quia tales sunt, carius venderet, quia censeretur fidem & characterem sacramentalem vendere, asserunt Ugol. de Simon. tab. 1. c. 36. n. 3. Suarez l. c. c. 9. n. 9. apud Wiestn. h. t. n. 34. in fin. Quædam casualiter, utpote causæ donorum spiritualium & supernaturalium; ut sacramenta instituta ad gratiam sanctificantem causanda; item sacramentalia, tam quæ in actione transeunte consistunt, ut benedictiones, exorcismi; quam permanentia, ut consecra-

rio Ecclesiarum, altarium, calicis, benedictio aquæ, olei, cereorum; item officia Ecclesiastica ad spirituales & supernaturales finem proximè ordinata, ut prædicatio verbi divini, orationes, quæ in choro, processionibus publicè & privatim ad salutem animatum ac pro impetratione bonorum spiritualium factæ ex institutione Ecclesiæ. Denique quædam, quia effectus sunt seu actus à gratia, dono, officio, ac potestate spirituali tanquam causâ proximè procedentes, ut prophetia, patratio miraculorum, actus ordinum, collatio baptismi, consecratio, ordinatio, actus sepeliendi.

6. Dicitur quindò: *Aut spirituali annexum*, qualia sunt, quæ etsi in se spiritualia non sint, ab illis tamen spiritualia, aut hæc ab illis dependent, quæ annexio se triplici modo habere potest. Primò antecederet; dum veluti principia & causæ præviæ & præsuppositivæ ad spiritualia ordinantur, ut sacra vasa, vestes, altaria, templa &c. ad sacrificium missæ ordinantur & consecrationi præsupponuntur. Quò etiam ab aliquibus referuntur jus patronatus, beneficiorum collationes, resignationes, electionesque ad ea, quatenus se per modum causæ antecederet ad ea habent. Secundò concomitanter sine quibus, tanquam intrinsecis ea non præstantur, v. g. labor corporis, qui suscipitur in sacrificando, & in administratione sacramentorum, aliorumque officiorum divinatorum. Tertio consequenter annexa spiritualibus, veluti effectus suæ causæ, ut beneficia, quæ sunt jura percipiendi redditus & fructus, qui dantur propter officium & ministerium spirituale, quò etiam referuntur pensiones Ecclesiasticæ, ita ferè Pih. *b. t. n. 2.* cit. Azor. *Less. ubi supra.* Suarez. *l. 4. de Simon. c. 23. n. 2.* Verùm quòd atinet ad has pensiones, plures magni nominis A. A. ut Gonz. de Luc. Gambar. Gigas, alique quos veroborenav citavi in *foro beneficiario p. 3. q. 439. n. 3.* negant illis omnem spiritualitatem, etiam ratione connexionis cum spirituali. Aliis fortè probabiliùs & frequentius tenentibus contrarium, quorum verba & rationes quoque *l. c.* adduxi, uti & declaravi, quæ propriè ratione annexionis discantur spiritualia, quæ vide.

Questio 69. Qualem malitiam contineat Simonia, & in specie, num à mortali excuset parvitas materiæ.

1. **R**esp. primò in genere; Simonia est peccatum gravissimum, ut patet ex Scriptura, dum *Act. 8. S.* Petrus Simonem magum sub æternæ perditionis interminatione reprehendit, uti & ex jure, dum *can. 7. caus. 1. q. 1.* dicitur *execrabile flagitium. c. 9. h. t. horribile nimis.* dum *can. 4. caus. 15. q. 3.* æquiparatur crimini læsæ majestatis. *can. 3. can. 11. can. 13. caus. 1. q. 1.* hæresi, licet revera talis non sit, nisi forte illam committens, ut Simon magus, verè existimet res spirituales & supernaturales pecuniâ aliavè re temporali acquiri & possideri posse. Ad hæc Ecclesiæ perniciosissimum vitium est, cujus in illam damna vide enumerata à Reiffenst. *b. t. n. 10.* In Summa, tam atrox crimen est, ut *can. fin. caus. 1. q. 7.* dicere non dubitet Papa, omnia crimina ad comparationem Simonie pro nihilo reputari.

2. **R**esp. secundò in specie continet malitiam sacrilegii, estque ejusdem speciei quædam. Ut Pih. *b. t. n. 3.* cum communi speciatim distincta ab omnibus aliis speciebus sacrilegii, malitia ejus consistente in eo, quòd per eam res sacræ spirituales ac supernaturales & dona Spiritus S. quæ cætera dona longissimè excedunt, vilissimè æstimantur, indi-

gnissimè profanantur & tractentur, committendo & æquiparando ea cum re temporali. Quin & ipsum spiritum sanctum vendendo & emendo potestati suæ subjiciant, servum suum efficiant, ut dicitur *can. 1. q. 1.*

3. **R**esp. tertio non datur in Simonia, nec ex parte rei spiritualis, neque ex parte rei temporalis (quæ pro invicem dantur aut promittuntur) parvitas materiæ. Nav. *b. t. conf. 52. n. 3.* Sanch. *l. 1. in decal. c. 4. n. 1.* Laym. *l. 4. tr. 4. c. 8. n. 4.* Bonac. *de Simon. q. 3. n. 13.* Castrop. *de Simon. p. 1. n. 17.* Reiffenst. *b. t. n. 11. & seq.* uti de parvitate materiæ constat ex *c. 20. h. t.* Ubi clericus qui sex solidum solidos solvit pro ordinatione, perpetuè suspensioni subjicitur, quæ pœna urpote gravis, gravem culpam supponit. Item ex *can. 102. caus. 1. q. 1.* Ubi sola *remissis* (id est, veluti pars solidi, ut *Gloss. ibid. V. remissis*) pro modico chrismatis, sub æternæ damnationis periculo prohibetur, ex ea ratione, quòd ex parvitate rei temporalis datæ pro rei spirituali potius augeatur quam minuatur malitia Simonie; cum quò minor & vilior est res temporalis data eò magis vilipenditur & tractatur res spiritualis pro ea accepta. Excusatur verò quis *c. 18. b. t.* à Simonia ratione modici pretii, non quòd modica pars pretii ad peccatum mortale Simonie coram DEO, gravesque exinde penas in conscientia subeundas non sufficiat, sed quòd Ecclesiæ, quia ex exigua quantitate pretii, præsumit illam insufficientem ad movendum & obligandum accipientem ad aliquid spirituale dandum, censetur illam gratis datam, & consequenter in foro externo talem non judicet, nec puniat tanquam reum Simonie. Ita ferè Reiffenst. *n. 12.* Hinc etiam deducens, dantem modicum illud pro beneficio tanquam verum Simoniacum in conscientia teneri restituere beneficium sanctisque inde perceptos, si modicum illud obligatorie, vel saltem ut motivum pro consequendo beneficio dedit. Quòd etiam ex parte rei spiritualis parvitas non excuset à mortali, constare videtur ex *cit. can. 102. caus. 1. q. 1.* Ubi sub æternæ damnatione illicitum declaratur, pro modico baptismi benedicti dare temporale. Uti etiam ex ea ratione, quòd, cum quævis etiam res minima spiritualis sit præstantior & æstimabilior rebus omnibus temporalibus, sacrilegè tractetur, etque injuria magna irrogetur, sit temporali pretio æquiparetur.

Questio 70. Qualiter Simonia dividatur in eam, quæ est juris divini, & quæ est juris Ecclesiastici.

1. **R**esp. primò: Simonia rectè & passim dividitur principaliter cum *Gloss. in c. pridem. de pactis. V. illicita a pacto.* Suar. *L. 4. de Simon. c. 2. & 7.* Less. *l. 2. c. 35. dn. 1.* Castrop. *tr. 17. d. 3. p. 2. n. 1.* plurimisque tam Theologis quàm Canonistis, citatis à Reiffenst. *b. t. n. 26.* in Simoniam juris naturalis seu divini, & in eam, quæ est juris positivi Ecclesiastici. Simonia juris naturalis (sic dicta, quia natura seu lumen naturale dicitur, indecens & rei sacræ injuriosum esse eam, quæ à sola manu liberali Dei dependet, omniavè temporalia sine comparatione superat, rebus temporalibus æquiparare hominumque arbitrio & æstimationi subjicere) & divini est, quando pro re temporali datur, præstatur, vel promittitur res in se verè spiritualis, aut huic annexa, vel è contra pro re merè temporali res in se dicto modo spiritualis, v. g. gratia sanctificans, vel gratis data, sacramenta, consecratio, benedictio, hostia consecrata, Ecclesiæ vel calix consecrat.

consecratus, jurisdictionis spiritualis, vel spirituale officium, atque hæc propriissimè Simonia est, cui principaliter convenit data paulo ante definitio Simonia. Simonia juris positivi Ecclesiastici, utpote inducta per legem merè Ecclesiasticam ex motivo religionis, iisdemque pœnis, quibus Simonia juris naturalis & divini, subiecta, est ea, quæ res una spiritualis aut huic annexa commutatur auctoritatè cum alia spirituali, ut contingit in permutatione beneficiorum facta sine auctoritate & licentia Superioris habentis ad hoc potestatem, c. *questum. c. cum olim. de permur. benefic. uti & in transacione super lite beneficii. c. 4. de transact. c. cum pridem. de pactis. Suarez. l. c. c. 2. § 7. Less. c. 35. n. 25. Castrop. l. c. n. 2. Pirh. l. c. n. 5. Wiestn. n. 4. Reiffenst. n. 25, ad quam quoque Simoniam ab iis reducuntur resignationes beneficiorum confidentiales, de quibus infra. Quin & Officia Oeconomi, Vicedomini, Sacristæ Thesaurarii, Castaldi (qui idem est ac major domus, ut Gloss.) ad rerum Ecclesiæ temporalem administrationem, custodiam, defensionem instituta, huc spectant, quæ si spirituale nihil, sanctitatemque nullam per consecrationem aut benedictionem contineant, eorum tamen venditionem ad Simoniam juris humani referri, ejusque pœnis subiacere, eò quòd ut talis prohibeatur ab Ecclesiâ, *can. si quis Episcopus. c. 1. q. 1. can. Salvator. e. 1. q. 3. c. consulere. 38. h. ut. tenent Less. l. c. n. 26. Suarez. l. c. Castrop. Pirh. Reiffenst. l. c. Wiestn. n. 5. An verò ea venditio, & in genere, nunc Simonia purè juris humani Ecclesiastici sit propriè, & non minùs Simonia quàm Simonia juris divini, in eo non ita conveniunt AA. affirmant id ipsum Suarez, Less. Reiffenst. Wiestn. l. c. ex ea ratione: quòd, cum in beneficiis Ecclesiasticis titulo spirituali, annexi sint redditus temporales, quorum præcipuè intuitu fieri possunt, & frequenter sunt permutationes & resignationes eorum, Ecclesiâ propter periculum Simoniacæ pravitatis, & similitudinem cum ea rectè eas tales præsumit, & ut tales prohibet fieri auctoritate propria. Similiter officia illa memorata temporalia, quia connectionem & affinitatem quandam habent cum cultu divino, in ejus diminutionem, quia eorum venditio facile cedere potest, ab Ecclesiâ invendibilia reddita sunt instar rerum verè spiritualium iisque annexarum, ac ita intuitu cultus divini diminuendi, & vi reparationis Ecclesiæ Simoniacæ labes contrahitur, dando temporale pro temporali habente annexum seu respiciente spirituale, etiamsi detur sine respectu ad illud spirituale ei annexum. Possè autem Ecclesiâ actum ex se indifferentem ex motivo turpitudinis in vitio aliquo affine v. g. Simoniacæ reposito, prohibendo facere materiam talis vitii, non mutando naturas rerum in genere entis, sed solum in genere moris; uti è contra actum talem ex motivo honestatis relucente in aliqua virtute, v. g. religionis, præcipiendo materiam illius, pater à simili, v. g. in fornicatione cum conjugine vel affine in gradu solo jure Ecclesiastico prohibito, quæ committitur incestus; etsi talis ex natura rei non sit in effusione sanguinis intra Ecclesiâ ob loci reverentiam prohibita. Contrarium nihilominus, nimirum non esse propriè Simoniam, & consequenter definitionem Simoniacæ supra datam (quam tamen communiter DD. admittunt, ut & divisionem in eam, quæ est juris divini, & quæ est juris humani, esse legitimam) non esse exactam, defendunt Durand. in 4. dist. 15. q. 1. Sotus l. 6. de just. 9. s. n. 3. Rodriq. tom. 2. sum. c. 56. n. 2. § 3, &**

Paludan. in 4. dist. 25. q. 4. a. 2. Pirh. b. t. n. 6. Laym. & alii apud Castrop. l. c. qui proinde, etsi ea omnia paulò ante dicta de potestate Ecclesiæ statuendi illa intra materiam Simoniacæ approbet; tamen cum Valent. Tom. 1. d. 6. q. 16. p. 5. n. 2. dicit hanc quæstionem: num talis transgressio prohibitionis Ecclesiæ constituatur in propria specie Simoniacæ ejusdemque sit rationis cum Simonia juris divini, esse quæstionem de nomine, quem vide.

Quæst. 71. Qualiter Simonia dividatur in mentalem, conventionalem & realem, & quæ singularum natura?

1. Resp. primò: Divisio hæc passim recepta à Juristis & Theologis. Et quidem Simonia mentalis est, dum quis dat temporale pro spirituali, & contra, sine ullo pacto expresso, vel tacito externè manifestato, hac tamen interna intentione seu proposito, ut alterum obliget, moveat seu alliciat ad dandum spirituale pro temporali, & contra ad dandum temporale pro spirituali. Ad hanc Simoniam requiritur, ut actu quis det (non enim ex eo dicitur mentalis, quòd illa intentio non exeat in actum exteriorem dandi & recipiendi, sed quòd ea non declaratur, ut Castrop. l. c. n. 3.) ita ut, licet coram Deo committat veram Simoniam mortaliter peccaminosam, quando præcisè internè proponit dare aut præstare temporale pro spirituali, vel contra, etsi hoc propositum necdum executus sit, aut alio actu manifestatum, non tamen dicatur mentalis in eo sensu, in quo communiter loquuntur AA. sed simpliciter Simonia interna, Wiestn. b. t. n. 7. etsi in hoc non parum quæstionis de nomine videatur intercurrere. Committitur hæc Simonia propriè mentalis quandoque ex parte unius tantum, v. g. dantis; quandoque ex parte utriusque, nimirum tam recipientis quàm dantis, ita ut tam ille det animo Simoniacò obtinendi spirituale pro temporali, quàm ille recipiat, simili animo, etsi neuter alteri hunc suum animum manifestet exteriùs. Nam si tale quid exteriùs dicant aut agant, unde alter in notitiam talis perversæ intentionis alterius devenire possit, jam non sit Simonia mentalis, sed conventionalis: Et, si insuper detur quid aut accipiatur, evadat Simonia realis, & pœnas juris ipso facto inducat, quas alias nullas inducit, quamdiu talis intentio manet occulta, sed solum Deum judicem & ultorem habet. Talis igitur Simonia propriè mentalis est, v. g. dum quis servit Episcopo pro exiguo & incompetente salario ea intentione occulta, nullo externo signo manifestata, ut ab eo sibi in compensationem servitij conferatur beneficium, ut ex c. *una nos. de fil. præsby. §. licet. Gonz. ibid. n. 2. Suar. l. c. c. 40. n. 3.* Item dum quis inhians beneficio, offert munera vel obsequia collatori, patrono, electoribus, aut ei, quem scit apud eos plurimum valere, simulando externè se omnino gratis, vel nescio quo alio licito titulo offerre seu exhibere, habens interea in animo intentionem, illo munere vel obsequio movendi ad conferendum, aut procurandum sibi beneficium.

2. Resp. Secundo: Simonia conventionalis est, dum intervenit quoque conventio seu pactum expressum vel tacitum externè manifestatum dandi temporale pro spirituali, aut è contra spirituale pro temporali, ita tamen, ut ex neutra parte vel saltem ex una solum parte sit completum seu datum executioni, v. g. si Beneficium sit collatum, temporali tamen ab accipiente Beneficium nondum dato. Navar. c. 23. n. 103. Valent. tom. 5. d. 6. q. 16.

p. 3. vers. & notand. Castrop. l. c. Pirh. num. 8. cum communi. Et si ex neutra parte secuta sit executio, dicitur Simonia conventionalis pura, si ex una tantum parte, sive quoad traditionem pretii, sive quoad dationem mercis, facta executio, dicitur conventionalis mixta, nempe ex conventionali & verbali, Pirh. l. c. Wiestn. n. 7. Reiffenst. n. 19. si verò fieret solum externa pollicitatio ab uno, eaque ab altero non acceptaretur; non foret conventionalis; cum conventio seu pactum sit duorum vel plurium in idem placitum consensus, sed remaneret mentalis. Farin. l. 1. decis. 34. à num. 4. Pirh. Castrop. Reiffenst. l. cit.

3. Resp. Tertio: Simonia realis est, quando pactio seu conventio tacita vel expressa de danda re spirituali pro temporali, aut è contra ex utraque parte actuali traditione tam mercis quam pretii (saltem inchoata, id est, parte mercis & parte pretii) completa est; quousque enim hac ratione completa non est Simonia, manet conventionalis, & pœnas canonicas non incurrit. ita Gutt. can. 99. l. 1. c. 9. n. 10. Covat. in reg. peccatum 2. §. 9. num. 7. Paris. de resign. l. 7. q. 2. n. 7. Less. l. 2. c. 25. du. 6. n. 36. Suar. l. c. n. 5. Pirh. n. 9. Reiffenst. num. 20. Wiestner. num. 7. cum communiore contra Sotum l. 9. q. 8. a. 1. Cajet. 2. 2. q. 100. a. 6. aliòsque nonnullos, quos citat & sequitur Castrop. l. c. p. 22. num. 5. quatenus docent, quòd, dum tradito Beneficio, pretium pro eo promissum traditum non est, adhuc incurri pœnas, adeòque supponunt, in eo casu adhuc esse verbalem Simoniam. Sed de hoc infra, ubi de pœnis Simonia. Atque ita jam ex priore sententia rectè infertur, etiam eum, qui ferio promissit temporale pro spirituali, vel contra, & postea accepto spirituali pœnitentià ductus ex parte sua promissum dare vel præstare recusat, Simonia realis aut pœnarum ejus reum non esse, neque in-

justitiam committere, cum conventio & promissio de dando spirituali invalida sit, & consequenter nullam inducat obligationem. Multòque minus etiam Simoniam mentalem committit, qui fictè solum promittit dare spirituale pro temporali vel contra sine animo implendi aut se obligandi, nisi quoad actum externum, quamvis alter deceptus acceptans promissionem committat Simoniam mentalem, & uterque à Judice puniri possit (intellige pœnà arbitrarià; cum pœna nulla ordinaria statuta Simonia mentali) Pirh. b. t. n. 9. Suar. l. 4. de Simon. c. 42. n. 4. & 5. Tanner. tom. 3. d. 5. de relig. q. 8. du. 2. Laym. l. 4. t. 10. L. ult. §. 6. Wiestn. b. t. n. 18. contra Navar. ad c. fin. b. t. n. 10. in quantum is censet, fictè promittentem committere quoque Simoniam, quia promissio licet ficta, intendit obligare alterum ad conferendum spirituale. De cætero ad Simoniam non requiritur, ut temporale & spirituale simul tradantur, sed sufficit, ut unum post aliud, etiam longum tempus, v. g. annum, tradatur, asserit Reiffenst. b. t. n. 23. manere eam mentalem vel conventionalem, donec ex utraque parte, saltem inchoativè, fiat traditio, & tunc ab eo momento evadat primò realis, quoad pœnas tamen retrahatur ad tempus pactionis præteritæ. Sed de hoc quoque infra, ubi de pœnis. Præter has Simonia species datur & alia, nempe Simonia confidentialis, verùm de hac accuratè & fusè à me actum in foro Benefic. p. 3. q. 735. Ubi num. 1. quo Jure inducitur & qualiter committatur. num. 2. quòd ejus materia sit solum Beneficium Ecclesiasticum. num. 3. per quas actiones committatur. n. 4. qualiter non committatur in permutatione Beneficiorum. n. 5. quid specialiter requiratur, ut committatur in resignatione Beneficiorum. num. 6. quòd in hac re Simonia habeat rationem pretii.

CAPUT II.

De Materia Simonia, merce nimirum, quæ datur, & pretio, pro quo datur spirituale.

Quæst. 72. Quæ veniant in Simonia nomine mercis & pretii, & hoc quotuplex?

1. **R**esp. Ad Primum: Nomine mercis in omni Simonia necessariò venit res spiritualis, vel spirituali annexa, pro qua datur temporale tanquam pretium. Talia in specie, de quibus in præsentè cap. Quæritur, an rationem mercis habeant, & qualiter circa ea committatur Simonia, juxta dicta non solum sunt ipsa, quæ in se sunt intrinsecè vel annexivè & respectivè spiritualia, ut præter gratiam sanctificantem, dona Spiritus Sancti, Characterem sacramentalem ipsaque Sacramenta missam, & Reliquias Sanctorum, sunt variae potestates & jura, v. g. Beneficium, Jus Pensiones percipiendi, Jus patronatus seu præsentandi, Jus Jurisdictionis, Jus decimandi, Jus Sepultura, Potestas conficiendi & conferendi Sacramenta & similia. Et præter hæc etiam variae actiones circa hæc ipsa versantes, v. g. Beneficiorum Provisio per Præsentationem, Electionem, Collationem, Confirmationem, Resignationes, Permutationes, Transactiones, Reservationes, item Administrationes Sacramentorum, Prædicatio Verbi Dei, &c.

2. Resp. Secundo: Nomine pretii in Simonia venit communiter res temporalis, quæ pro re spirituali vel ei annexa datur vel præstatur. Et quidem in Simonia Juris Divini non solum pecunia, sed & res quæcumque temporalis, in Simonia verò Juris Ecclesiastici etiam res spiritualis rationem pretii quandoque habet; dum datur pro alia re spirituali, uti contingit in permutatione Beneficiorum facta sine autoritate Superioris. Extra Materiam vero beneficalem etiam propria autoritate dando spirituale pro spirituali v. g. Reliquias pro Reliquiis, Missam pro alia re spirituali, eò quòd tunc rei sacra irrogetur injuria, adeòque merito Jure prohibitum. Suarez de Simon. l. 4. c. 31. n. 20. Pirh. b. t. n. 124. Reiffenst. n. 58. Vocari autem solet hoc pretium, *Simoniacum munus*. Quod aliàs tribus modis accipi solet, primo pro munere gratuito, secundo pro officio; tertio pro onere seu obligatione, in quo sensu hic accipitur.

3. Respondeo tertio: Dividitur sic sumptum trifariam, juxta Canon. 114. caus. 1. q. 1. in munus à manu, in munus ab obsequio, & munus à lingua. Nomine muneris à manu, non venit sola pecunia, etsi hæc aliàs propitissimè sit pretium, arg. *L. quod si servus, §. fin. L. si res. ff. de in rem verso*. Sed & quævis alia res temporalis, pretio æstimabilis, uti

litatem

licitatem & commodum aliquod afferens, sive mobilis, sive immobilis; sive corporalis, sive incorporealis. Ut sunt jura quedam, v.g. pensiones, debiti remissio, dilatio, anticipatio, cessatio, vexatio, iniqua cessio Litis. Navar. *man. c. 23. n. 101.* Bonacin. *de Simonia §. 1. n. 3.* Laym. *de Simon. §. 3. n. 25.* Reiffenst. *h. t. n. 59. arg. can. 6. caus. 1. q. 3.* Ubi hæc omnia æquiparantur pecuniæ, & in specie de remissione debiti constat ex *c. 20. de test. c. 3. h. t.* De mutuatione pecuniæ, anticipatione debiti ex *L. quisquis. C. si certum petat.* Ex ratione quoque universali constat contineri in his omnibus Simoniam, si fiant seu præstentur ad obtinendum spirituale, quod in his omnibus invenitur utilitas vel commoditas aliqua temporalis. Nomine muneris ab obsequio venit quodcumque servitium vel obsequium temporale exhibitum vel exhibendum ex tacito vel expresso pacto per personam aliquam pro re aliqua spirituali. Ita communis arg. *c. 12. h. t.* Talia v. g. sunt non solum ex dicto pacto vel intentione famulari ei, qui rem spiritualem conferre vel procurare potest, sed & solvere debita, quæ is ratione servitii sibi vel suis præstiti contraxit. Item illius negotia gerere, instruere illum, ejusve consanguineum in aliqua scientia, dicere missas pro eo &c. Quia & similia æquivalent pecuniæ & pecuniâ compensari possunt. Ita Suarez cit. *l. 4. c. 39. à n. 7.* Rodriq. *V. Simonia c. 39. n. 2.* Castrop. *l. 1. p. 3. n. 8.* Nomine muneris à lingua, veniunt preces, intercessiones, recommendationes, Laudes, dum hæc ex pacto expresso vel tacito pro assequenda re quapiam spirituali interponuntur, vel interponenda promittuntur aut exiguntur, v.g. apud Principem, communitatem, magnatem aliumve, qui temporale conferre vel procurare potest, v.g. dum collator aliquis beneficium confert vel promittit alicui, si is preces, vel recommendationem sui & laudes interponat apud Principem ad ejus favorem pro se vel suis obtinendum, vel etiam per eum beneficium pinguius, seu dignitatem spiritualem vel temporalem sibi suisve procurandam. Item si valens auctoritate apud Principem promittat mihi sua intercessione & recommendatione ejusdem favores vel etiam officium, sub eo pacto & conditione, ut sibi vel amico suo, procurem beneficium vel officium Ecclesiasticum. Ita quoad rem ipsam Navar. *in man. c. 23. n. 102.* Bonac. *de Simon. §. 1. n. 13.* Laym. *l. 4. tr. 10. c. 3. n. 26.* Suarez, *de Simon. l. 4. c. 40. n. 12.* Less. *cit. c. 35. n. 118.* Castrop. *l. c. n. 9.* Pith. *h. t. n. 138.* arg. *c. sunt nonnulli. caus. 1. q. 1. & c. nemo. h. t.* Sunt enim hujusmodi preces & intercessionem quid temporale, pretio æstimabile, cedens in utilitatem illius, pro quo offeruntur in ordine ad consequendum spirituale, ita ut etiam vendi possint. Simoniacum tamen non est, ut patet ex totius orbis consuetudine; rogare per se vel alium, aucteriam commendationem sui interponere apud Collatorem, ut sibi vel alteri conferat beneficium, uti nec ad preces & intercessionem alicujus conferre aliquid spirituale, modò non intercedat pactum aut ulla obligatio Justitiæ; aut etiam, ut Castrop. *l. c.* ex auditio precum non cedit in aliquod commodum concedentis; quod enim humiliter petitur, omnino gratis conceditur. Ita Suar. Castrop. Laym. Less. Pith. *l. cit.* cum communi, arg. *c. 121. caus. 1. q. 1. & c. tua nos. h. t.* Et hæc ferè in genere de iis, quæ mercis & pretii Simoniaci rationem habere possunt. Descendendo nunc ad eorum præcipua in particulari examinandòque, qualiter in iis committatur Simonia, sit

R. P. Leur. *Jur. can. Lib. V.*

Questio 73. Qualiter committatur Simonia circa merè & intrinsicè spiritualia, puta gratiam, Sacramenta & sacramentalia?

1. Resp. Primo: Tam gratia Sanctificans quam gratia gratis datæ, tunc emi & vendi dicuntur, quando emitur & venditur (non quidem de Jure, sed de facto) ut Pith. *h. t. num. 10.* potestas conferendi ministrallyter gratiam seu Spiritum Sanctum, potestas item patrandi Miracula, donum Prophetiæ. Quemadmodum id ipsum intendit Simon magus, dum oblata Pecunia S. Petro, voluit, ut is sibi hanc potestatem communicaret. Committi autem hac ratione Simoniæ propriissimè Juris Divini, cum communi & indubitatè tradunt: D. Th. *22. q. 100. n. 1. ad 4.* Suarez, *l. c. c. 49. n. 7.* alii que passim.

2. Resp. Secundo: Idem est de septem Legis novæ Sacramentis causalivis gratiæ Sanctificantis, & de Characterè, quem eorum aliqua causant, qui spirituale quid est & supernaturale, dum dantur seu conferuntur & recipiuntur pro pretio temporali. Prout constat generaliter ex *c. 9. h. t.* ubi non tantum id gravissimè prohibetur, sed & vitium nimis horribile dicitur, contraque illud nulla prævalere potest consuetudo. Quod signum est, esse quoque jure naturæ prohibitum, seu prohibitum, quia in se malum, ex ea ratione, quia Sacramenta etsi consistant actionibus & passionibus humanis, sunt tamen & ipsa hæc dona divina supernaturalia, quatenus instituta & elevata ad conferendam gratiam, & hinc Sacramenta, non sine turpissima irreverentia æquiparantur pretio temporali. Ita quoque de singulis eorum in particulari constat ex Jure. De Baptismo quidem *can. 100. & 102. caus. 1. q. 1.* de Confirmatione, *can. quidquid. c. placuit eadem caus. & q. de Eucharistia c. 101. c. 106. caus. 1. q. 1.* Quamvis eam seu speciem consecratas vendere sit speciale & altioris ordinis sacrilegium, quatenus Christum continent. De extrema unctione *c. ult. caus. 1. q. 3.* quæ ibi intelligitur per oleum. De ordine *c. 1. 2. & seq. c. 1. q. 1.* Et Trident. *Sess. 21. c. 1. de reform.* Neque de Matrimonio, quatenus non minus quam cætera Sacramentum est ad conferendam gratiam institutum, aliter sentiendum. His non obstantibus, quòd in Matrimonio interveniant plures pactiones & contractus, sub quibus & non aliter mutuo consentiunt in conjunctionem sui conjuges, essentiâ matrimonii in hoc mutuo consensu consistente: Nam vi talium pactionum non datur pecunia, aut præstatur quid temporale tanquam pretium pro ipso contractu Matrimonii quatenus elevato ad rationem Sacramenti novæ legis, sed quatenus est contractus humanus, & quidem in ordine ad eundem reducendum ad æqualitatem, dum v. g. ab uxore, ita exigente viro assignatur dos amplior, ad compensandam viri nobilitatem, dignitatem, scientiam, &c. ac ita fit veluti commutatio temporalis cum temporali. Ita D. Thom. *l. c. a. 2. ad 6.* Abb. *inc. cum in Ecclesia. h. t. n. 3.* Barbos. *ibid. n. 4.* Suarez. *l. c. c. 10. n. 11. & c. 11. n. 5. & 6.* Castrop. *tr. 17. d. 3. p. 7. n. 2.* Pith. *h. t. n. 10.* Wiestn. *n. 36.* Huc quoque spectant Characteres Sacramentales intrinsicè supernaturales, qui & ipsi vendi possunt & emi, non quidem in abstracto, sed in concreto, ut dum propter eum carius venditur baptizatus quam paganus, Sacerdos carius quam Laicus; ac ita committitur Simonia Juris divini juxta dicta supra. Nihilominus dum in Sacramentis du-

plex est materia, una remota v. g. panis, vinum, oleum, quæ sunt temporale quid pretio æstimabile, secundum hanc spectata Sacramenta emi & vendi possunt. Altera materia proxima, v. g. actiones quædam, ut in Baptismo ablutio, in Confirmatione signatio, in extrema unctione inunctio. Pro his uti & pro ipsa forma seu prolatione verborum, sive pro Sacramentis secundum hæc spectatis sine Simonia Juris divini nihil temporale tanquam pretium exigi, dari aut recipi potest, quia hi actus sunt Potestatis spiritualis. Suar. cit. l. 4. c. 11. n. 3. & 4. Laym. l. c. c. ult. §. 4. n. 33. Pith. h. t. n. 12. Possent tamen etiam pro istiusmodi actionibus, in quibus consistit confectio seu collatio & administratio Sacramenti, in extrema vel gravi necessitate dari temporale injustè illas neganti, non tanquam pretium, sed tanquam medium ad removendam à se istiusmodi iniquam vexam, reducendumque à peccato inferentem illam, ac ita ad obtinendum ab eo Sacramentum; cum gravis illa necessitas sufficienter honestet permissionem peccati injustè negantis, removeatque irreverentiam, quæ aliàs hac ratione extra casus necessitatis irrogaretur Sacramento. Ita, inquam, tenent Suar. l. c. c. 12. n. 13. Less. cit. c. 35. n. 38. & quos citat & sequitur Pith. n. 13. Sed neque contrarium sentire videtur Castrop. l. c. n. 3. dum ait, juxta omnes DD. non posse pecuniam offerri alicui neganti injustè administrationem Sacramenti, ut ab illa injustitia desistat, cum alià viâ non desistet ab ea, nisi concessione Sacramenti, pro ea autem concessione, uti & pro cessatione ab illa injustitia offerre pecuniam etiam in extrema necessitate esse intrinsecè malum. Addit enim signatè pecuniam dari non posse pro ipso Sacramento, aut dicta cessatione tanquam pretium, bene tamen, ut subdit, ad inflectendam voluntatem negantis Sacramentum; confirmatque ex eo, quòd obligatus conferre Sacramentum, dum illud injustè negat, incitari possit minis, adeoque & blanditiis & datâ pecuniâ ad conferendum illud. Uti & Tyrannus qui captivam tenet Eucharistiam, oblatâ pecuniâ moveri potest ad illam dimittendam, & ab illa horrenda injuria liberandam, pro quibus universaliter citat præter Less. l. c. du. 7. num. 39. Valq. de Scandal. q. 43. c. 8. du. ult. n. 59. Pont. de Matrim. l. 5. c. 13. §. 6. n. 35. &c. De cætero extra casus necessitatis dare & exigere pecuniam pro administratione Sacramenti esse Simoniam, adstruit Castrop. num. 4. dicens communem. De quo tamen ex professò *quest. seq.*

3. Resp. Tertio: Sacramentalium quoque transeuntium (per quæ intelliguntur cæremoniæ & ritus sacri distincti ab ipsis Sacramentis, ab Ecclesia instituti, consistentes in aliqua actione transeunte, nullum post se effectum relinquentes, v. g. varii ritus circa Sacrificium missæ, Catechismus in Baptismo, exorcismus, benedictio nuptiarum) horum nempe præstatio pecunia tanquam pretio, Simoniam Juris divini continent, cum sint ministeria facta & actus Ordinis Clericalis. Suarez. l. c. c. 14. num. 1. & 3. Castrop. l. c. p. 8. n. 1. Pith. h. t. n. 14. Sacramentalia verò permanentia consistentia quidem etiam in actione aliqua, habente tamen & post se relincente effectum, ut sunt Consecratio Ecclesiæ, Benedictio Vasorum & Paramentorum pro Sacrificio missæ, agnorum Dei, olei, panis, vendi possunt & emi, non quidem in abstracto, sed in concreto, ut dictum, dum nimirum venditur res seu materia, cui consecratio annexa, & quidem absque Simonia v. g. calix altare vasa Sacramentalia

consecrata, quin & Ecclesiæ aliqua consecrata (quod ad dominium & proprietatem illius, quanti nimirum valet fundus illius, & expensæ factæ in illius ædificationem) modò ratione consecrationis non vendantur carius, quàm res istiusmodi per se valent: ita cum communiter recepta tenent cum D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 4. ad 1. & 2. Sylv. v. Simonia. 12. Cajet. v. eod. reg. 1. & 3. Navar. c. 23. n. 108. Suar. l. c. n. 6. Castrop. l. c. citans plures. Quod dum negat Pith. l. c. ex ea ratione, quòd res hujusmodi sint sacræ, institutæ à potestate supernaturali à Christo concessa Ecclesiæ ad finem supernaturalem, intelligendus est, ut ipse ait, de illis, si vendantur ut tales; quòd autem vendi possint ratione materiæ, admittit ex ratione data remittens ad se ipsum, ad L. 3. tit. 17. §. 2. De cætero observandum, quòd, si vasa sacramentalia & similia vendenda hominibus profanis, aut ad profanos usus, prius confringenda. Si autem ad usus sacros, præcipue ecclesiasticis ea integra vendi posse, quatenus ob materiam & artificium, seu operam æstimabilia sunt; prout tradunt Nav. Durand. in 4. dist. 25. q. 4. Silv. v. Simon. v. 12. Valent. 2. 2. d. 6. q. 16. p. 2. Castrop. l. c. n. 3. ubi etiam ex S. Thom. declarat, qualiter his non obstat, c. si quis obierit. c. 1. q. 3.

Quest. 74. An & qualiter committatur Simonia dando vel exigendo quid temporale per modum stipendii pro administratione Sacramentorum & Sacramentalium, & aliorum actuum spiritualium præstatione?

1. Resp. Primò: Pro Sacramentorum & Sacramentalium administratione, aliisque functionibus, licet & sine Simonia ministri Ecclesiæ recipere, & cæteri illis dare possunt temporale per modum stipendii ordinati ad eorum honestam sustentationem, ita communis & indubitata; patet ex claris Scripturæ textibus, Lucæ 10. v. 7. *Dignus est operarius mercede sua: 1. ad Corinth. 9. v. 7. Quis militat stipendiis suis unquam? quis plantavit vineam, & de fructu ejus non edit? quis gregem habet, & de lacte gregis non manducat?* & v. 11. *Si nos vobis spiritualia seminavimus, magnum est, si nos carnalia vestrametamus? Nescitis, quòd qui in sacrario operantur, que de sacrario sunt, edunt, & qui altari deserviunt, de altari participant?* Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Similia habent S. S. Canones, ut can. 22. caus. 12. q. 1. Non enim datur tunc temporale, tanquam pretium commensuratum rei, seu functioni spirituali, sed ut quid jure divino & naturali debitum personæ ministranti spiritualia ad necessariam honestamque illius sustentationem.

2. Resp. Secundò: Non tantum sponte oblatum recipere, sed & exigere, & in pactum deducere possunt ministri Ecclesiæ temporale per modum debiti stipendii pro dicta administratione & functionibus spiritualibus ad honestam sui sustentationem, ubi non obstat specialis prohibitio juris; ita cum Glos. in c. significatum. de prob. Abb. ibid. n. ult. Gut. 99. can. c. 29. n. 13. Laym. de Sim. §. 2. num. 15. Valent. l. c. p. 3. Suar. de Simon. L. 2. c. 46. n. 4. Cajet. Soto & alii, quos citat & sequitur Castrop. tr. 17. p. 4. §. 4. contra Card. in c. tua nos, h. tit. n. 2. Silv. v. Simon. q. 9. §. 2. & 7. D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 2. & alios quosdam contrarium

tenentes ex eo, quod censent SS. Canones, etsi admittant licere dari temporale pro spirituali tanquam stipendium, & ut taliter datum recipere; negent tamen licere dare, & recipere illud, ut tale ex pacto, aut etiam exigere, dum universaliter prohibent pacta in spiritualibus: ad quod tamen facile responderetur cum Glos. in c. ult. de pactis. & in c. 2. cans. 1. q. 2. v. pactio. per SS. Canones non removeri à spiritualibus pacta honesta, sed inhonesta; quale est pacisci de dando spirituali, tanquam pretio pro spirituali vel temporali, aut etiam aliquos Canones certos ex speciali ratione prohibere, exigere temporale pro spirituali, & de eo pacisci. De cetero ratio responsionis nostræ est, quod quisque de eo pacisci possit, & ex pacto præterire, quod ei aliàs jure debetur; quodque, ut Castrop. datio pecuniæ ex obligatione in sustentationem ministrantis spiritualia, habere nequeat rationem veræ venditionis aut emptionis, (quæ tamen sola constituit Simoniam) dum non datur ex voluntate, quâ quis velit eam commensurare spirituali. Confirmatur hæc sententia universalis Ecclesiæ consuetudine, quâ dantur beneficia, quæ sunt jus percipiendi redditus, seu fructus propter officia divina, & quâ sunt foundationes, in quibus clericis, tam regularibus, quàm secularibus assignantur bona temporalia, & certi redditus ad honestam eorum sustentationem, cum pacto & conditione legendi certas missas, & ut chorum frequentent, laudes divinas persolvant, concionentur, aliasque functiones spirituales obeant, qui dein redditus ab eis hoc titulo exiguntur, absque eo, quod per hoc violeretur illud Christi, Math. 10. *Gratis accepistis, gratis date*; dum non pugnant inter se, gratis exhibere spiritualia, & occasione horum exhibitorum accipere & exigere stipendium sustentationis, juxta illud à Christo tubiunctum: *In eadem autem domo manete edentes & bibentes, que apud illos sunt; dignus est enim operarius mercede sua.* Illud tamen hic notandum, quod, dum ministri Ecclesiæ pro functionibus spiritualibus temporalia paciscuntur & exigunt, id non prohibitu suo, sed prout lex synodalis aut diocesana, vel his deficientibus, discretionis & charitatis virtus, consideratis personarum & rerum circumstantiis, præscribit vel permittit, facere debeant. Item quod in casu, quo Laici, vel alii tale stipendium debitum præbere reculant, eos non ipsi ministri Ecclesiæ, sed Episcopus cogere possit & debeat, Reiffenst. b. t. n. 192.

3. Resp. Tertio: Ampliando binas præcedentes responsiones: ut etiam Clerici divites, & ex proprio patrimonio habentes sustentationem amplam, possint pro functionibus spiritualibus accipere & exigere temporale per modum stipendii, juxta Apostolum 1. c. *nemo, adeoque nec dives, teneatur militare propriis stipendiis*; uti & operarius, etsi dives, dignus est mercede sua, adeoque exigere eam potest, absque eo, quod exinde argui possit avaritiæ; cum nemo ejus argui queat, si petat, quod ei debetur. Idem est de Clericis aliunde redditibus ecclesiasticis sufficienter provisis, qui & ipsi pro functionibus ecclesiasticis, ad quas ex officio tenentur, exigere possunt temporalia, quæ iis de jure ecclesiastico, vel consuetudine diocesana, vel aliunde legitime præscripta debentur: uti id patet in Episcopis, dum hi redditibus abundantes, possunt tempore visitationis recipere & exigere procuraciones iis de jure indifferenter debitas, juxta c. *conquerente de off. ordin. c. procuratores. de censibus.* Constat etiam ex c. *ad Apostolicam. b. t. r.* ubi Episcopi injungitur, ut Laicos compellant ad danda temporalia,

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. V.

quæ ex laudabili consuetudine pro sacramentorum & sacramentalium administratione dare consueverunt, nulla facta distinctione inter Clericos pauperes, & redditibus ecclesiasticis abundantes. His non obstantibus, can. 6. & 8. c. 1. q. 2. quibus prohibetur Clericis (sufficiencia aliunde habentibus aliquid dare; addita ratione, quod aliud non sit habentibus dare, quàm perdere, cum Canones isti solum prohibeant, ne de bonis Ecclesiæ illis, quæ destinata sunt ad sustentationem pauperum, detur Clericis jam aliunde sufficiencia habentibus. Nihilominus committi Simoniam, dum Clerici habentes redditus sufficientes exigunt temporalia per modum stipendii, quando illos ea exigere, nec jus, nec consuetudo, aut publica autoritas permittit, tradit D. Thom. 22. q. 100. a. 2. ad 3. Reiffenst. b. t. num. 198. & habet communis. Quod si tamen in eo casu post peractas functiones spirituales, ad quas ex officio tenentur, offeratur ipsis aliquid temporale, posse id illos recipere, non tamen exigere sine Simonia, & si sufficientem sustentationem non habent, etiam illud in dicto casu exigere, non tamen recitantes illud dare, compellere ad dandum, astruit Reiffenst. n. 199. Similiter, ut idem n. 200. committunt Simoniam, qui, etsi justum titulum exigendi habeant, si modo illicito id faciant, v. g. si ante exhibitas illas functiones ex officio debitas temporale extorqueant, negando illas, nisi prius temporale detur, aut cautio de eo dando præsteretur, contra c. 36. c. 4. & 42. b. t. Item si pro illis functionibus plus exigant, quàm jus vel praxis, & consuetudo diocesis, aut approbatio Superiorum permittit.

Quæst. 75. Quid sit speciale, circa temporale tanquam stipendium pro legendis missis?

Resp. Posse omnes etiam divites Sacerdotes, item religiosos, tam superiores quàm privatos de licentia Superiorum missas, quas non tenentur ex officio, aliave obligatione dicere, ad aliam intentionem legere pro stipendio temporali paciscendo super eo, illudque exigendo legere, modò consuetam quantitatem seu valorem non excedant, Reiffenst. n. 201. 202. 203. idque etiam si monasteria sint opulenta, & independenter ab istiusmodi missarum stipendiis religiosos suos alere possint; ipsi etiam religiosi privati, utpote quibus Superiores de sufficiente & honesta sustentatione providere debent, & provident, etsi nullus eorum aliquid temporale titulo honestæ sustentationis accipere valeat, uti dictum questione præcedente de Clericis divitibus secularibus ob easdem rationes, poterunt tamen sine Simonia de licentia Superiorum tacita vel expressa accipere, pacisci, exigere per modum stipendii vestes, medicinas, imagines, pecunias, (si aliàs horum non sint incapaces) resque alias præsertim ad honestam distractionem, recreationem, aliúmque usum conducentes, cum & hæc nomine honestæ recreationis veniant, uti & illa aliis suis correlegiosis dare pro legendis ad suam intentionem missis, Reiffenst. n. 204. & 205.

Quæst. 76. An & qualiter potestas jurisdictionis, seu jurisdictionis ecclesiastica tam respectu fori interni, quàm externi, uti & jurisdictionis temporalis sit materia Simonie?

Resp. Primò: Dare & recipere temporale pro obtinenda hac potestate ecclesiastica, est Simonia juris divini: siquidem est intrinsecè spiritualis,

is, præfertim ea, quæ forum internum respicit, tum ratione principii, quippe collata à Christo; tum ratione finis, cum tendat ad salutem animarum spirituales: & circa actus ab ea dependentes, si pro iis detur temporale tanquam pretium, est Simoniacum, ut paulò post dicitur: Et multò magis erit Simoniacum, dare illud pro radice, ex qua illi procedunt, ita communiter supponunt AA. Atque ita Simonia est, dum hæc potestas, v. g. absolvendi, delegatur à Parocho alteri, ut vice sua audiat confessiones suorum subditorum, idèmq; est, si pro pecunia detur licentia eligendi confessarium, Suar. l. 4. de Simon. c. 19. n. 5. Pirh. h. t. n. 47. Item Simonia talis est vendere & emere actus, quibus talis jurisdictio spiritualis, sive ordinaria, sive delegata pro foro etiam externo confertur, cum sic vendatur ipsa jurisdictio, Pirh. n. 48. cit. Suar. ubi ante c. 20. n. 4. Et sic Vicarius Episcopi, neque aliquem Judicem spirituale, sive ordinarium, sive delegatum, neque Vicarium, sive Capellanum alicujus Ecclesiæ, etiam ad nunc amovibilem, constituere potest pro pretio, sive illud detur ex parte accipientis jurisditionem, sive ex parte dantis illam. Quamvis hic illis constituere possit stipendium sustentationis, Suar. l. c. n. 5. Pirh. l. c. Castrop. l. c. p. 10. n. 6. Sumitur ex c. Saluator. caus. 1. q. 3. & ibi Glol. v. & Judicem. & ex c. consulere. h. t. ubi: quicumque vicedominatum sive vicariatum, vel etiam ecclesiasticam rerum administrationem per pecuniam obtinere voluerint, tam ementes quam vendentes sunt Simoniaci, & ab Ecclesia, in cujus contumeliam dare pecuniam & accipere voluerunt, justè excluduntur. Quamvis, si ad actum emptionis & venditionis non processerint, non sit Simonia, nisi mentalis, ut Glol. fin. in cit. c. consulere. juncta Glol. Marg. l. c. & Abb. n. 5. Idem est de constitutione Vicarii generalis & Officialis facta pretio ab Episcopo, Castrop. l. c. Reiffenst. h. t. n. 215. Item Simoniacum est vendere jus eligendi ad dignitates & beneficia ecclesiastica, vel jus confirmandi electionem, & conferendi beneficia; cum jus illud in se sit spirituale, & conferre illud actus spiritualis jurisditionis, Suar. l. c. num. 7. Castrop. Pirh. Reiffenst. h. cit.

2. Resp. Secundò: Jurisdictionem temporalem etiam competentem Prælato alicui ecclesiastico, seu officia eam exercentia vendere, non est Simoniacum, quia spirituale nihil continent, Castrop. l. c. n. 8. Esse quoque licitam eorum venditionem, seclusa lege positiva, modò concedantur benè meritis, & sub pretio, seu stipendio moderato, tradit Idem: quamvis addat, citatis pluribus pro hoc legibus sui regni, prohibitam esse sine licentia regis. Unde credit Episcopum peccaturum, si ista Officia vendat, cum leges civiles respicientes bonum commune teneantur servare: quamvis probabile quoque censeat, has leges solum loqui de officiis vendendis à personis secularibus, Ducibus, aliisque similibus Principibus, cum disponere non possint de jurisdictione, bonisque temporalibus personarum ecclesiasticarum.

Quest. 77. An & qualiter committatur Simonia exercendo vel omittendo actus jurisdictionis ecclesiasticæ, & in specie absolvendo, dispensando, assistendo matrimonii &c.

1. Resp. Ad primum & secundum: Pro exercitio Ordinis, aut Jurisdictionis ecclesiasticæ dare aut recipere aliquid temporale esse Simoniam, eo,

quod actus hi sunt spirituales, tum ratione principii, à quo procedunt, nimirum potestatis intrinsecè spiritualis; tum ratione finis, nempe salutis animarum, ad quem tendunt, juxta jam dicta & claros textus. c. 8. 9. 10. 14. & 21. h. t. Similiter Simoniacum esse, pro pretio omittente hujusmodi actus spirituales, dum hæc omisso seu negatio pendet ab eadem potestate seu jurisdictione ecclesiastica, juxta c. nemo. & ibi. Glol. Abb. n. 6. c. nullus Episcopus. c. sunt quidam, ead. caus. 1. q. 1. & ibi Glol. Archid. Prapostus. Ugol. tab. 1. c. 40. §. 3. Suar. l. c. c. 22. à n. 4. Castrop. l. c. p. 12. n. 16. Wiestn. h. t. n. 51. Et sic Simonia est post auditam confessionem negare penitenti absolutionem pecunià acceptà ab aliquo tertio, cit. c. nemo. Suar. l. c. c. 21. n. 9. Castrop. n. 17. Less. Wiestn. h. cit. idem est de negata absolutione à censuris, repulsa digni ab Ordinibus, curà animarum, Suar. Less. Wiestn. juxta cit. c. nemo. ex ea ratione, quod sicut absolvere, approbare, ita & absolutionem & approbationem negare digno, est actus & exercitium potestatis clavium ligandi & solvendi moraliter unum, Less. Suar. Castrop. Wiestn. l. c. Idem videtur esse in jurisdictione fori contentiosi, si Judex pecunià corruptus omittat absolvere à censuris; cum sic virtualiter continuet censuram, aut si contra criminisum non procedit, cum sic tacite condonet delictum, aut si justè appellanti neget appellationem, cum in his casibus non tam sit negatio usus jurisdictionis, quam moralis ejus usus, ut Castrop. cit. n. 17. in fin. citans Suar. c. 22. n. 16. in fin. Secus tamen est, seu non committitur Simonia, si actus debitus & justus, v. g. si celebratio missæ, baptizatio independens ab ista jurisdictione negetur, cum illa negatio nihil sit spirituale, sed tantum usus libertatis naturalis, qui qua ratione sit Simoniacus, non apparet, (nisi fortè, ut Layman. L. 4. tr. 10. c. 8. n. 43. apud Wiestner. l. c. pro omissione illius oblato pretium in compensationem jacturæ fructus spiritualis, aliàs ex eo actu percipiendi. Quin &, si actus omissus sit injustus, ejus redemptio oblarà pecunià per se mala non est, sed potius laudabilis, quia fit ad impediendum peccatum, ita Wiestn. l. c.) Castrop. l. c. n. 18. loquens de Parocho obligato pro parochianis legere sacrum, coràmque confessiones audire, si pro pecunià ea omittat, citans pro hoc Suar. l. c. c. 22. n. 13. & Less. l. c. du. 11. n. 64. contra Ugol. tab. 1. c. 40. §. 2. & 3. reputantem id esse Simoniacum, idem contra eundem & Suarez dicens de Parocho negante licentiam constituendi alteri. Et n. 21. de Parocho omittente denunciare parochianum Episcopo, in casu, quo ex officio suo ad denunciandum illum tenetur, cum etsi hac omissione liberet subditum à penà, in hac tamen liberatione non exerceat jurisdictionem propriè absolvendo à penà, aut etiam à censura incurrà, pro quo citat Innoc. & Hostiens. in c. nemo. h. t. Less. l. c. & in hanc sententiam propendere ait Suar. l. c. n. 14. contra Glol. Abb. in idem c. Sylv. Ugol. & alios relatos à Suarez, cum quibus sentire videtur D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 3.

2. Resp. Ad tertium: Simoniacum est absolvere à peccatis indignum oblato temporali, eò quòd tunc non vendatur hac ratione actus spiritualis, cum talis absolutio sit nulla, vendatur tamen quidam usus, vel potius abusus spiritualis potestatis, & id videatur sufficere ad Simoniam, ut Suar. L. 4. de Simon. c. 19. n. 2. & cum eo Castrop. l. c. n. 2. arg. c. nemo. hoc tit. Est quoque Simoniacum oblato temporali absol-

absolvere dignum; nisi forte illud detur ad impediendam injustè negatam absolutionem in casti necessitatis, tunc enim ex parte dantis non committitur Simonia. Sic etiam Simonia est, dare & recipere temporale ad obtinendam à confessorio levio- rem pœnitentiam, vel etiam gravio- rem, (intellige datâ ob eum finem pecuniâ ab aliquo tercio) Castrop. cit. p. 12. n. 2. ubi etiam ex Suar. cit. L. 4. c. 19. n. 4. quod Simoniam committat Confessorius imponendo pœnitenti in satisfactionem elemosynas pro pauperibus vel legendis missis, si eum cogat, & quasi obliget pro absolutione, ut eas sibi applicet. Et licet addat secus esse, si solum desiderium & voluntatem dicendi illas missas per se manifestet; Cavendum tamen, ait, scandalum ob appetitum lucri & avaritiæ, idè quæ id ipsum in aliquibus Episcopatus & religionibus prohiberi. Item Simoniacum est concessio indulgentiarum, dum datur vel recipitur pecunia, cum sit actus supremæ cujusdam potestatis spiritualis & supernaturalis à Christo concessæ, tendens ad remissionem pœnarum temporalium, estque venditio aliqua satisfactionis Christi & Sanctorum, quæ per indulgentiam applicantur, Pirh. h. t. n. 4. uti etiam Suar. l. c. n. 9. quod nihilominus in concessione hac possit & soleat exigi aliqua pecunia, non tanquam pretium illius, sed per modum elemosynæ requisitæ ad lucrandas indulgentias, & quidem non soleat dari concedenti eas, sed ad pias causas applicari aut irrogari in pauperes. Quod hic dictum de absolutione à peccatis, idem est de absolutione à censuris.

3. Resp. ad quartum: Simoniacum similiter est dare & accipere temporale tanquam pretium pro dispensatione in votis, juramentis matrimonii, irregularitate & legibus Ecclesiasticis. Ita juxta *can. nullus Episcopus. q. 1. c. nemo. c. ad aures. h. t. Trid. sess. 24. c. 5. & sess. 25. c. 18. de reform. & cum communi D. Th. l. c. Silv. v. Simonia. q. 8. & 9. Suarez. l. c. c. 19. n. 1. & c. 20. n. 8. Less. l. c. du. 9. n. 57. Castrop. l. c. n. 10. Pirh. h. t. n. 49. Garc. p. 8. c. 1. n. 100.* His non obstante praxi curiæ Romanæ exigentis pro dispensatione pecuniam, & quidem in majore quantitate, prout gravius est dispensatio; nam ex concessione Pontificis, qui est supra jus commune Ecclesiasticum, expostulatur pecunia non in compensationem dispensationis, & gratiarum, quæ conceduntur (hæc enim esset Simonia contra jus divinum) sed in sustentationem Pontificis ejusque Officialium, quod juri divino conforme juxta dicta supra; vel etiam per modum multæ, dum rationale est, cupienti exemptionem à lege communi imponi aliud onus, quo compensetur illa diffinitas à lege; vel ut sollicitatio dispensationis, alias odiosa, reddatur difficilius, ad restringendam nimiam illam facilitatem petendi dispensationes. Quod fieri potest saltem ex dispensatione Pontificis. Pirh. l. c. Zoes. h. t. n. 24. Suar. Less. &c. Ordinarii vero etiam prædictis titulis seu causis temporale pro dispensatione exigere, aut solvendum constituere nequeant prohibente id ipsum specialiter illis Trid. l. c. & sess. 22. c. 5. in quo solus Papa, non Ordinarii dispensare possunt. Possunt tamen dispensato imponere elemosynam aliquam, ac præcipuè ubi dispensatio supponit culpam dispensati, non tamen sibi applicandam, sed piis operibus, ut Abb. & Covar. in c. alma mater. p. 1. §. 11. n. 10. D. Thom. l. c. a. 2. ad 3. Rodrig. in Summa. c. 48. n. 4. Nav. c. 23. n. 102. quos citat & sequitur Castrop. cit. p. 12. n. 11. Sed neque exigere à dispensato quid temporale possunt Episcopi, aliique, pro labore, quem

necesse est impendere in executione dispensationum matrimonialium iis à sede Apostolica commissarum; cum & id ipsum sub excommunicatione reservata, & nullitate dispensationis in litteris commissionis iis interdici soleat, reservatâ quartâ parte ducati soli Notario pro examine testium sumendâque informatione super veritate narratorum in supplica, rebusque aliis. Ita probabilius Nav. l. 1. conf. ut. de rescript. consil. ult. Zerol. in prax. Episc. p. 2. v. delegatus. §. 2. & v. dispensatio. §. 1. Genuens. in pr. archiepisc. curia Neapol. c. 25. n. 13. Garc. de benef. p. 8. c. 1. n. 102. Castrop. l. c. n. 12. Reiffenst. h. t. n. 217. contra Sanch. de Matrim. l. 8. d. 35. n. 21. Salas de l. d. 20. f. 10. in fin. ex ea ratione sentientes contrarium, quod in dictis litteris non prohibeatur exigi & recipi stipendium laboris, sed solum munera & præmia etiam sponte oblata. Verùm & horum nomine hoc loco venire stipendium & debitam pro labore mercedem explicant Farin. apud Castrop. l. c. & Garc. l. c. ubi pro hac sententia varias Cardinalium, Concilii Trid. interpretum assertiones, in quibus etiam specialiter derogatur consuetudinibus in contrarium quibuscumque, etiam immemorialibus. Licet itaque sit illicitum pro dicto labore recipere pecuniam tanquam stipendium, non tamen id prohibitum tanquam Simoniacum, sed solum tanquam turpe Lucrum, adducit Castrop. l. c. n. 13. vers. secundo ad verò. Quin & ibidem cum Garc. & Genuens. admittit ne quidem id illicitum, si necesse esset Ordinarium, aliosque dispensantes exire à domicilio suo ad examinandos testes, verificanda narrata, uti & nullatenus illicitum est, si recipiatur pecunia pro stipendio laboris impensi recipiendis testibus, aliisque officiis præstandis in expeditione dispensationum distinctarum à causis matrimonialibus.

4. Resp. Ad quintum: Probabilis est, Simoniam esse, & quidem juris divini, si Parochus pro assistentia matrimonii exigat aut recipiat pecuniam ut pretium assistentiæ, Suar. cit. L. 4. c. 19. circa fin. Castrop. cit. p. 3. n. 5. Pirh. h. t. num. 47. Dato enim, assistentiæ illam Parochi non esse actum jurisdictionis, est tamen ex institutione Ecclesiæ annexa officio Parochi, assistitque is tanquam Minister Ecclesiæ, adè quæ spectat ad Ministerium ecclesiasticum, & requiritur vi præcepti ad valorem contractus matrimonii, quatenus is Sacramentum est; ita AA. cit. adè quæ longè aliter ibi præsens ac alii testes, quippe qui purè adsunt ad probandum matrimonium. Videtur nihilominus sentire Castrop. evitari hanc Simoniam consuetudine recipiendi aliquid pro assistentiâ, dum dicit; si ex hac assistentiâ matrimonii, vel benedictione nuptiarum aliquid emolumentum, seu stipendium soleat Parocho evenire, posse illum nolle dare licentiam assistendi matrimonio, aut benedicendi nuptias, nisi sibi emolumentum, quod sperabat, compensetur, cum tunc non petat pecuniam pro concessione licentiæ, sed ut se indemnem servet; pro quo citat Sylv. v. Simon. n. 8. §. secundum. Rodrig. c. 58. a. 10. Aragon. q. 100. a. 2. in fin.

Quæst. 78. An Simoniacum sit dare & recipere temporale tanquam pretium pro præstito aut præstando patrocinio, etiam ferendo testimonio in causis spiritualibus?

1. Resp. Ad primum negativè: Nam etsi patrocinium illud, seu advocatio, uti & patrocinatio spectet suo modo ad complementum ecclesiæ

sticæ jurisdictionis, ut Castrop, *l. c. num. 14.* non tamen est quid spirituale, nec à potestate spirituali, aut habente jurisdictionem spiritualem, quâ tali profectum; & ita tenet idem cum Suar. *l. c. c. 53. n. 9.* testans de praxi & consuetudine totius Ecclesiæ, juxta *c. non sanè. 14. q. 5.* Ubi sine ulla distinctione causarum spiritualium & temporalium dicitur licere advocato patrocinium suum vendere.

2. Resp. Ad secundum: In hoc non convenire AA. Nam Simoniacum esse exigere pretium pro ferendo testimonio in causa spirituali, v. g. pro obtinendo beneficio, eò quòd testificatione tali potius quàm intercessione paratur via ad beneficium, tradunt Abb. in *c. tua nos. h. t. n. 6.* & *ibid.* Host. & Felin. *n. 4.* item D. Anton. & Tabien. apud Castrop. *n. 15.* ipse verò cum Squar. *n. 11.* distinguit, dicendo, non esse Simoniacum ex parte dantis, si nolenti testari veritatem detur pecunia ad obrinendum ab eo testimonium, quia illa datur ad redimendam vexam; quamvis testis accipiens hac ratione pecuniam, committat injustitiam, nisi fortè excusetur propter laborem, aut incommodum aliquod, quod ei evenit ex testificatione compensandum. Et hanc doctrinam tenere Theologos omnes secutos D. Thom. *2. 2. q. 16. a. 4. ad. 1.* Et jurisperitos in *c. 1. & c. sicut nobis de testibus.* Ex parte etiam recipientis & exigentis pecuniam pro testificatione veritatis, num committat Simoniam, se dubitare ait, cum testificatio hæc, v. g. in lite obliqua beneficii nihil sit aliud, quàm manifestatio & comprobatio juris, quod quis habet circa beneficium, quod munus informandi Judicem de veritate assumere non sit Simoniacum; idque etiam sine dubio procedere, si pecunia exigatur, non in commutationem testificationis, sed in stipendium, cum id expressè nullo jure positivo vetetur.

Quæst. 79. An Simoniacum sit pro compensanda intercessione impensa ad obtinendum alteri beneficium, ordinem, dispensationem, similève gratiam spiritualem, dare quid temporale?

Resp. Affirmativè cum S. Bonaventura in *4. dist. 25.* Gabr. *q. 2. a. 3. du. 4. circa finem.* Sylv. *v. Simonia. q. 6.* Tabien. *n. 8.* Navar. *c. 23. n. 106.* Soto *L. 9. q. 7. a. 3.* Suar. *l. c. num. 14.* Less. *cit. c. 35. du. 8. num. 46.* Castrop. *l. c. p. 11. n. 4.* aliisque ab eo cit. juxta *c. S. statimus. caus. 1. q. 1. & c. presentium. caus. 45.* ubi inter simoniacè ordinatos numerantur, qui pecuniam non quidem ordinanti, sed intercessori & mediatori ad consequendos ordines dant. Ex ea etiam ratione, quòd talis intercessor & mediator, rogans & inducens Episcopum ad ordinem, aliumve collatorem ad beneficium conferendum est causa moralis istius collationis, adeoque, si ematur istiusmodi causa moralis, ematur virtualiter ejus effectus ab ea dimanans. Nihilominus Simoniam non esse, si detur temporale intercessori tali pro suscepto labore, adeundo ordinatorem vel collatorem, ab eoque recedendo, & in sollicitatione apud illum interposita; vel pro damno, quod exinde passus intercessor, modò munus seu datum non excedat æstimationem istius laboris & damni, tenent Nav. Suar. Less. Castrop. *ll. cc.* Item non esse Simoniacum recipientem munus ob id ipsum, sentit Suarez *c. 53. n. 17.* Idem, sive non esse Simoniacum recipientem munus, de eo sentit Suar. *c. 53. n. 17.* qui præcisè assumit munus informandi ordinatorem vel collatorem de meritis ordinandi &c. cum in hoc gerat solum

munus Advocati, quod tamen periculosum ait Castrop. cum mediator sæpe excedat munus informantis, assumendo officium exhortantis & excitantis, plus quàm merita promovendi simpliciter repræsentata possent. Idem sentit Suar. cum ceteris DD. de eo, qui præcisè pro aperiendo facilius aditu ad collatorem pro petendo ab eo beneficium daret aliud quod munus; cum hæc spiritualia non sint.

Quæst. 80. An Simoniacum sit pro precibus aut virtutis exercitio, aliòve bono opere supernaturali exigere aut dare temporale, aut etiam sub spe obtinendi temporale orationes offerre?

1. Resp. Ad primum affirmativè: Si exigatur aut detur per modum pretii. Est communis, & patet, cum preces, & dicta exercitia sint quid intrinsicè spirituale; secus est, si exigatur vel detur ut stipendium iis, qui ad hujusmodi exercitia non tenentur; vel, si tenentur, non habent sufficientes reditus ad honestam sustentationem; vel, si habent, degunt in loco, ubi ita habet legitime præscripta consuetudo, & autoritate publica permittitur; ita tenent Suar. *L. 4. de Simon. c. 15. n. 5.* Gut. *99. can. L. 1. c. 29. a. n. 15.* Castrop. *l. c. p. 9. num. 1.* Reiffenst. *h. t. n. 218.*

2. Resp. Ad secundum: Sicut non est Simonia præstare temporale sub spe consequendi spirituale; sic quoque Simoniacum non est præstare seu offerre spirituale sub spe obtinendi temporale, dum non habet pro fine seu motivo principali consecutionem rei spiritualis, & dans spirituale pro motivo suo consecutionem rei temporalis, (sic enim uterque dans committeret Simoniam) sed uterque solum secundariò speret, & per accidens intendat ille acquirere spirituale, alter temporale; ita Gloss. in *c. cum essent. h. t. v. promiserat.* Abb. & Barbol. *ibidem num. 4.* Nav. in *man. c. 23. n. 102.* Sylv. *v. Simonia q. 16. dicto 4.* Suar. *de relig. L. 4. c. 45. num. 4.* dicens communem, Pirh. *h. t. n. 86.* Reiffenst. *n. 89. & 220.* arg. *c. tua nos. h. t.* Sicque habet consuetudo universalis, ut detur Religiosis & aliis pauperibus Eleemolyna spe obtinendi ab iis orationes & pia opera; Et è contra Religiosi offerant sæcularibus suas preces, spe ab iis obtinendi temporalis, & hæc, etiam si spes consequendi spirituale aut temporale fuisset causa impulsiva ad dandum, ita, ut non fuisset datum ex alio motivo etiam principali, ex quo modò datum sine dicta spe; cum fieri possit, ut Reiffenst. *n. 102.* ex Navar. *l. c.* citante pro hoc D. Thom. *quodlib. 8. a. 2.* & Matron. in *4. dist. 25. q. 1.* ut quis certum, cumque principalem ac præcipuum finem agendi habens, tamen non ageret, nisi ab alio minùs principali sine seu causa, ad agendum excitaretur & impelleretur.

Quæst. 81. An Simoniacum sit pro ingressu & receptione in religionem exigere aut recipere temporale quid?

1. Resp. Primò: Pro receptione ad Religionem exigere vel recipere pecuniam, ad idvetemporale tanquam pretium receptionis, esse Simoniam saltem de jure ecclesiastico, tenent Ugol. *de Simon. Tab. L. 1. c. 4. §. 2. n. 16.* Archid. &c. & constare videtur ex textibus juris indistinctè & universaliter prohibentibus, quid exigi aut recipi pro receptione hac. *c. veniens de regular. c. non satis. c. cum in Ecclesia c. quoniam. c. audivimus. h. t. & extrav. 1. inter comm.* Quin & esse Simoniam de jure divino, absolute pronunciant Suar. *cu. L. 4. c. 17. n. 4. & 5.* Pirh.

Pirh. *h. t. n. 58.* intelligendo id ipsum tam de receptione ad novitium seu probationem, & suscipiendum habitum religionis, quia hic est in ordine ad recipiendum ad professionem, quam ad professionem; utraque enim hæc receptio est quid spirituale, tam ratione principii, quam finis, quippe receptio hæc procedit à jurisdictione & potestate spirituali, & tendit ad animarum & caritatis perfectionem, Nav. *L. 5. Conf. conf. 85. h. t. n. 2.* Similiter Simonia est, personam ingredientem aliquid accipere temporale à monasterio, ut ingrediatur, quia sic dicta persona vendit seu locat suum officium & ministerium spirituale, Pirh. *h. t. n. 61. atq. c. quam pro. c. 1. q. 2.* Neque his obstant moderna monasteriorum, præsertim monialium consuetudo & praxis ab ingredientibus pecunias exigendi, & de super paciscendi; nam non exigitur aut recipitur pecunia pro admissione ad religionem tanquam pretium, sed pro honesta ingressi sustentatione. Hinc

2. Resp. Secundo: Absque Simonia, & licet ab admittendo ad religionem exigitur & recipitur pecunia, tanquam dos ingredientis, ad honestam illius sustentationem, saltem dum monasterium minus bene fundatum, & aliunde inops est, & insufficientis ad alendas in numero consueto personas, *Glof. in c. quoniam. h. t. v. pauperatis. Abbas ibid. & Barbof. n. 4. D. Thom. in 4. dist. 25. a. 3. quæstion. 1. Cajet. ibid. & in summa. v. excommunicat. c. 73. Navar. in man. c. 23. n. 106. & de redit. Eccles. q. 1. monito 62. Sylv. v. Simon. q. 15. d. 2. Marchant. tom. 3. tr. 10. tit. 6. q. 10. coucl. 2. Less. cit. c. 35. d. 12. n. 68. Laym. L. 4. tr. 10. c. 8. n. 39. Castrop. l. c. p. 9. n. 4. Pirh. h. t. n. 59. Wicftn. n. 47. Reiffenst. h. t. n. 163.* dicens communem tam T. T. quam Canonist. ex ea ratione, quod dicta sustentatio nihil sit spirituale, multo magis licitum recipere, quod gratis & sponte offertur pro necessaria sui sustentatione, Pirh. *n. 60.* Neque his obstat, *c. quoniam. h. t.* dum ibi tanquam Simoniacum prohibetur, etiam sub prætextu pauperatis, aliquid temporale exigere ab ingredientibus; nam prohibetur solum exigi sub prætextu falsæ & fictæ pauperatis, ubi monasterium verè pauper non est, ut cum *Glof. in cit. c. Suar. l. c. n. 14. Less. l. c. n. 71. Castrop. l. c. n. 6. Reiffenst. n. 164.* Neque *Trid. sess. 25. de regul. c. 3.* dum dicit: in monasteriis tam virorum, quam mulierum, bona immobilia possidentibus, siue non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis elemosynis commode possit sustentari &c. Unde uti ex constitutione Clementis VIII. pro reformatione regularium edita, quæ incipit: *nullum omnino;* estque ejusdem Papæ sexta, eadem ferè habet; rectè inferri videtur, non posse ab eo, qui recipitur, saltem dum ejus receptione contactus personarum numerus non augetur, aliquid temporale pro ejusdem sustentatione exigi. Nam nomine consuetarum elemosynarum, vel saltem aliarum *obventionum* (quo utitur Clementis) venite rectè possunt dotes, aliæque bona temporalia, quæ siue mulieres, siue viri in religionem recepti pro honesta sui, aliorumque jam ibi præexistentium sustentatione inopi monasterio tribui (etiam ad exactionem) consueverunt; ita *Suar. n. 17. Less. c. 39. n. 12. in fin. Castrop. cit. n. 6. Reiffenst. h. t. n. 168.* Neque ex eo, quod receptus media receptione acquirit jus, ut ex redditibus monasterii sustentetur, sicut ceteri jam in eo præexistentes, sequitur, eum admitti non posse cum

paço & onere solvendi propriam sustentationem; Nam cum ex dicta admissione, ei debita non sit integrè sustentatio, sed solum pro facultate redituum monasterii, illique prius purè sufficientes pro consueto suorum religiosorum numero congruè sustentando, reddantur insufficientes, aucto hoc numero per receptionem novi religiosi, nil vetat pro ejus sustentatione exigi pecuniam, ne illius ingressu graventur jam præexistentes diminutà & subtractâ eis congruâ sustentatione; ita quoad rem *Castrop. l. c. n. 5.* Sed nescio, num hac ratione sufficienter diluatur objectio pro casu, quò in locum demortui unius ex præexistentibus religiosi, subrogatur alius, & sic non augetur consuetus numerus, & consequenter reditus ad eos sustentandos non reddantur insufficientes.

3. Resp. Tertio: In eo, an Simoniacum sit, sustentationis necessaria prætenso titulo, exigere & recipere quid temporale à recipiendo in religionem, dum monasterium opulentum est, aut saltem ita fundatum, ut quos recipit, sufficienter ex suis præhabitis redditibus sustentare possit, in eo, inquam, non conveniunt AA. Affirmat, & solum stabilè conando solvere objecta in contrarium *Reiffenst. h. t. n. 169.* citans pro hoc *D. Thom. 2. 2. q. 100. a. 3. ad 4. March. ubi supra concl. 4. quin & num. 170. & sequent.* addit, non tantum esse Simoniacum de jure ecclesiastico, sed & de jure divino, pro quo præter textus juris *c. quoniam. h. t. & extravag. sanè. tit. eod. citat March. n. 5. Roderiq. tom. 2. q. 49. a. 2.* qui dicit, sic sentire ferè omnes Canonist. Et rationem adducit, quod opulenta monasteria, etiam monialium, temporale nihil exigere possint, titulo honestæ sustentationis, nec titulus alius superfit, unde necesse habeant exigere pro receptione, quod est Simoniacum de jure divino, contra quod nulla consuetudo præscribere potest. Quin & dato, esse solum contra jus humanum, consuetudo tamen talis sit invalida & illicita, eò, quod jus *cir. extravag. & v. veniens.* ei resistat, eamque reprobet tanquam detestabilem abusionem & corruptelam; Contra quæ si opponas cum *Pelliz. tr. 10. c. 2. n. 40.* in religione duo consideranda, nimirum ipsum statum religionis, & onus alendi susceptum, & pro hoc licet exigi quid temporale; id aliter non diluit, quam dicendo, id nimium probare, nempe licitum quodque esse in monasteriis quibuscumque opulentissimis virorum, quod ipsum tamen admittent contrariæ sententiæ AA. juxta mox dicenda. Quòd, si opponas, quòd opulenta monasteria monialium exigere possint temporale quid, id ea habere ex privilegio & concessione *Clement. VII. & declaratione Innocent. VIII.* quæ declaraverit ad tollendos monialium scrupulos in receptione earum nunquam committi Simoniacum, nisi exigendo temporale pro ingressu; ad id respondet: istiusmodi concessiones & declarationes nullius esse efficacæ, eò, quòd non sint, nisi vivæ vocis oracula, quin & quòd talia sint, non constare authenticè; pro quo tamen non allegat, nisi unum sui ordinis authorem *Castarubiam.* Ad hæc: omnia vivæ vocis oracula regularibus concessa (præsertim de quibus authenticè non constat) esse abrogata, de quo infra ad tit. de privilegiis: vel si ea adhuc vigeant, non loqui, nisi de monialibus indigentibus, seu non habentibus sufficientes reditus pro honesta sustentatione ingredientium; verum respectu eorum non opus erat privilegio; vel denique concedere solum, & declarare Pontifices moniales exigentes ab ingredientibus temporale, non incurtere per hoc excommunicationem, aliasque

juris poenas, cum concedere vel declarare non possint, non esse Simoniam, si monasteria opulenta exigant quid temporale ab ingredientibus, cum id, uti asserit, sit Simonia Juris Divini. Ac denique, si opponas, Monasteria opulenta exigere posse temporalia à de novo ingredientibus, non tantum, ut aucto hac ratione Religiosorum numero augeatur cultus divinus, sed & ut acquisita angeant & conservent, ne uti ingredientium dotibus acquisita & auctæ divitiæ, iis cessantibus paulatim redigantur iterum ad paupertatem. Ad id, inquam, vix aliud respondet, quam non esse facienda mala, ut eveniant bona. Verum hoc ipsum exigere quid temporale à Monasterio pro sustentatione de novo receptæ, num malum sit stante consuetudine, est in Quæstione. Quod quia plures negant, etiã docent contrarium: Nimirum non esse Simoniacum, Monasterium sive virorum, sive mulierum dives exigere quid temporale ab ingressuris, Sylv. l. c. 9. 15. Sotus l. 9. 9. 6. a. 2. Valent. l. c. d. 6. 9. 17. p. 2. Arag. 9. 100. a. 3. V. si quid. apud Castrop. l. c. n. 4. quos sequuntur Pirh. h. r. n. 59. Wiestn. h. r. n. 48. eò quòd licet id veterint SS. Canones, passim tamen invaluerit, & toleretur consuetudo, quã præcipue in Monasteriis Monialium etiã divitibus nemo recipitur, nisi sufficientem ad sui sustentationem afferat dotem, aut alia ratione sit monasterio proficua. Supponunt enim hi AA. id nunquam fuisse prohibitum de Jure divino, sed solum Ecclesiastico, contra quod legitime præscribi potuit, atque talem consuetudinem damnari non posse ut corruptelam, vel irrationabilem, cum temporale non exigatur pro spirituali tanquam ejus pretium, sed tantum requiratur tanquam conditio, ut dotem pro necessaria sustentatione afferat recipiendus, ne monasterium accessu novarum personarum gravetur, signanter adstruit cum Less. cit. c. 35. n. 69. Suar. cit. 14. n. 18. Laym. cit. c. ult. §. 4. n. 39. Pirh. l. c. Ideoque hanc consuetudinem tacito consensu Prælatorum Ecclesiæ scientium & tolerantium illam approbatam esse. Quamvis rectè addat abusus illos, qui sunt circa apparatus & sumptus conviviorum in susceptione & professione regularium, aliæque dona, quæ cum exactione seu pacto expresse vel tacite quasi extorquentur, talemque consuetudinem tanquam corruptelam reprobant in cit. extravag. ut notat Navar. in tract. de rebus. Eccles. 9. 1. monito 62. n. 3.

Quæst. 82. Qualiter in concessione sepulture committatur, vel non committatur Simonia?

Resp. Hanc quæstionem à me fusè & accuratè tractatam videre licet in foro Beneficiali p. 2. 9. 104. Videti quoque potest Castrop. ir. 17. d. 3. p. 8. n. 4.

Quæst. 83. An & qualiter committatur Simonia in Doctõne & Promotione ad Doctõratum & Magisterium?

1. Resp. Primo: Pro Officio Doctõnis ipsoque actu docendi scientias profanas, quales sunt Jurisprudentia, Philosophia, Mathesis, Rethorica, &c. exigere & recipere pecuniam, aliæ temporalia tanquam pretium, extra controversiam est, ut patet, cum ipse scientiæ: adeoque & doctõ & officium docendi sint quid mere profanum. Proinde Quæstio solum spectat doctõnem Theologiæ & eorum quæ ad illam reducuntur. Hinc

2. Resp. Secundò: Neque Simonia est recipere

pecuniam pro officio docendi & interpretandi sacram Scripturam, saltem seclusa interpretatione, quæ fit instinctu Spiritus Sancti. Gloss. in c. vendentes caus. 1. 9. 2. & in c. qui studet. caus. 1. 9. 1. V. Sanitatis, & in c. quibusdam 37. dist. V. Magistri. Adrian. quodlib. 9. a. 1. in fin. Soto de just. l. 2. 9. 5. a. 1. & 9. 6. a. 2. ad 2. Less. l. 2. c. 35. du. 13. n. 80. Tolet. in Summal. 5. c. 88. n. 3. & 4. Suar. l. 4. de Simon. c. 7. n. 7. qui dicit communem & in scholis receptam. Eandem tanquam probabiliorē tenet Castrop. ir. 17. d. 3. p. 10. n. 2. addita ratione: quòd hoc munus per se non ordinetur ad salutem animæ, sed potius ad illustrandum intellectum in hac doctõina, non secus ac aliæ scientiæ naturales. Idem est de munere docendi Theologiam, ut vocant, scholasticam; quia esto, quòd conclusiones talis Theologiæ procedant à principiis revelatis & fide divina creditis, fides tamen divina per accidens se habet ad hoc munus docendi, cum qui de tali principio dubitaret voluntariè, eodem modo docere eam posset, quo habens fidem Divinam, ita Castrop. l. c. Unde jam pro licentia docendi hanc Scientiam, seu pro habenda cathedra dare pecuniam, seu cathedram emere non esse Simoniacum, docent Innoc. & Abb. in c. 2. de Magistris. Tabien. V. Magister. n. 10. Suar. l. c. o. 18. n. 14. Less. l. c. n. 83. quos citat & sequitur Castrop. l. c. n. 3. Sed neque id prohibetur c. 2. de Magistris, tanquam Simoniacum, sed solum ut simpliciter illicitum, quin & huic prohibitioni communi consuetudine derogatur, dum passim in universitatibus sunt fundationes, & dantur annua stipendia pecuniaria.

3. Resp. Tertio: Neque est Simoniacum, vendere gradum Magisterii & Doctõratus in Theol. Suar. l. c. n. 16. Less. l. c. n. 83. Castrop. l. c. n. 4. & alii ab eo citati, eò quòd ejusmodi gradus sint solum quædam approbationes publicæ de sufficiente scientia ad docendum & consulendum, cum aliquibus privilegiis, facultatibus, commoditatibus & honoribus omnino temporalibus. Sed neque his obstat, ut cit. AA. quòd institutio & collatio hujusmodi graduum sit à Pontifice; cum etiam Pontifex possit aliqua insigniti istis gradibus, ratione cathedræ aut beneficii, quòd obtinent, aliæ viâ obligentur ad docendum, si exigant pro doctõne pretium pecuniarium; cum ea obligatio nihil spiritualis ei superaddat, si id de se non habeat. Suar. l. c. n. 17. Aragon. 9. 100. a. 3. vers. in eadem.

4. Resp. Quartò: Theologum docere & exigere pro resolutione casuum conscientie pretium, non est Simoniacum, non secus ac Simoniacum non est, Canonistas pro hujusmodi responsis & consiliis exigere pretium. D. Thom. cit. 9. 100. a. 3. ad 3. Navar. c. 13. n. 200. Suar. l. c. c. 18. n. 19. & 20. quos citat & sequitur Castrop. l. c. n. 5. contra Less. l. c. du. 13. n. 78. & 79. ex ea ratione, quòd talis instructio sit naturali labore humano acquisita, & de se ordinetur solum ad illustrandum intellectum, tollendamque ignorantiam secundum dicta paulò supra. His non obstante, quòd interrogans suas interrogationes acceptaque responsa referat ad pacandam conscientiam aliòsque fines supernaturales, cum illius intentio non mutet actionem, quæ per se ad id non ordinatur.

5. Resp. Quintò: Pro tradita doctrina Christiana recipere pretium non esse Simoniacum, tanquam

quam probabilius tenet Castrop. *num. 6.* cum Ugol. *tab. 1. c. 10. §. 3. n. 3.* & Suar. *cit. c. 18. in fine.* Si doceatur Christianus solum ad iuvandam memoriam & exercendam illam. Esse verò Simoniacum, si tradatur ad confirmandum illum in fide, & operandum juxta illam, eò quòd introductio talis, utpote ad finem supernaturalem ordinata, sit opus supernaturale; idque à fortiore, si sit instructio infidelis, ut ad fidem convertatur, & maxime facta in baptismo, cum sit Ministerium Ecclesiasticum. Tradunt præter cit. AA. Less. *l. c.* & Soto *l. c. 9. 7. a. 1. in fine.* Idemque dicendum de concione habita ad infideles convertendos, fideles in fide conservandos, incitandosque ad operandum juxta illam. Idque quia est maxime spiritualis, tam ex parte finis, quam ex parte principii, cum concionatores sint ministri Dei & loco illius subrogati. D. Thom. *l. s. a. 3. ad 2.* & ibi Cajet. Angel. *V. Simonia num. 9.* Holt. *in summa l. 6. tit. 5. Less. num. 79.* Suar. *cit. c. 18. n. 2.* Castrop. *l. cit. n. 7.* Plura de his ad *tit. 5.*

Quæst. 84. Donationes gratuita, an & qualiter sint materia Simonie?

1. Resp. Primò: Donationem rei temporalis etiam gratuitam seu absque omni pacto & obligatione pro consequenda re spirituali prohiberi posse ab Ecclesia ob reverentiam rerum Spiritualium, ne commutari videantur cum temporalibus, extra controversiam est: Et ita expressè Cardenas *in crisi super 46. propositiones damnatas ab Innoc. XI. dissert. 27.* cujus rationem fide apud me *in foro benef. n. 3. 4. 7. 46.* Atque ita, si talis donatio fiat stante prohibitione, peccati contra religionem, adeoque Simoniacum, tenet Suar. *tom. 1. de relig. l. 4. de Simon. c. 40. à n. 1.* apud Castrop. *l. c. p. 5. n. 1.* Carden. *l. c. n. 74.* Quæ in contrarium opponi possunt, vide diluta à me *l. c. n. 3. §. 4.* Castrop. tamen *num. 6.* inquit se nullam donationem talem gratuitam intuitu religionis prohibitam aut ut Simoniam damnatam invenire (de quo vide me *l. c. n. 5.*) uti nec onerosam, quæ emptio & venditio non sit extra materiam beneficentiam; & in foro conscientiarum, & in foro externo, quomodocumque donatio fiat cum onere dandi spirituale, nisi ab Ecclesia sit approbata, præsumatur fieri pro spirituali in commutationem illius, & ut Simoniam puniri. Porro ex quibus in dubio, utrum donatio sit merè gratuita, an verò per modum pretii aut compensationis colligatur, v. apud me *l. c. n. 6.* Ad illud etiam, quod præcipue in contrarium assertur ex *Titid. Sess. 21. c. 1. de reformatione;* ubi ait: *Quoniam ab Ecclesiastico ordine omnis avaritia suspicio abesse debet, nihil pro collatione quorumcumque ordinum, etiam clericalis consura, nec pro litteris dimissorias, aut testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacumque de causa etiam sponte oblatum, Episcopi aut alii collatores & eorum ministri quovis preteritu accipiant;* ad illud, inquam, dicit cum Suar. *tom. 5. in 3. part. d. 31. n. 23. in fine.* & Less. *l. c. du. 30. n. 61. in fine,* ex mente Concilii non committi Simoniam per talis donationes etiam de

Jure Ecclesiastico, cum solum prohibeat tanquam affectum avaritiæ, ut patet ex principio hujus decreti. Et licet postea addat Concilium, contrarias consuetudines favere Simoniacæ pravitati, non esse satis, ut sit Simonia. Ad hæc decretum hoc non intelligendum de iis, qui obtento jam ordine aliquid dant spontaneè, aut quasi coactè, ut obtinere possint litteras dimissorias, quia talis datio non procedit ex ambientis petitione; sed de danribus spontaneè ante Ordinum susceptionem, deque illis, qui postmodum ex obligatione antecedente donant, tradit Castrop. *l. c. n. 2.* citans pro hoc Less. *l. c. n. 62.* Salzedo *in pract. crim. c. 27.* & alios. Idemque esse, si quid coactè det pro admissione ad professionem, quia videretur esse quædam redemptio vexæ, ut Rebuff. *tit. quot modis benef. acquir. n. 13.* Garc. *de benef. p. 8. c. 1. à n. 93.* quibus favore dicit Suar. *de relig. tom. 1. l. 4. c. 48. q. 11.* Ac denique cum eod. Less. tenet accipientes excusari posse consuetudine, quæ, etsi corruptela videatur ob speciem mali, talis tamen non sit, quamdiu non exigitur temporale in commutationem spiritualis. Et licet talia statuta & consuetudines etiam immemorales eo tempore existentes abolerent, non tamen irritaverit denuo nascituras, ubi tempus requisitum ad consuetudinem contra legem canonicam compleverint.

2. Resp. Secundò: Simoniacum est dare temporale pro spirituali tanquam gratuitam compensationem illius, ut constat ex damnata ab Innoc. XI. hac propos. *dare temporale pro spirituali non est Simonia, quando temporale sit solum gratuita compensatio.* Hanc *Quæst.* à me ex professo tractatam v. *in foro benef. p. 3. q. 745.* Ubi etiam, qualiter talis donatio compensativa distinguatur à donatione simpliciter gratuita. Item an committatur Simonia per communem illum modum & praxin, quæ sollicitantes & rogantes pro re aliqua spirituali uti solent dicendo: dignetur esse memor mei, vel, quæso, conferat aut procuret mihi hoc beneficium, exhibebo me gratum; non ero ingratus; promitto me futurum gratum; & confide in me; sum vir honestus.

Quæst. 85. An & qualiter circa jus percipiendi decimas Ecclesiasticas committatur, aut non committatur Simonia?

Resp. Jus decimarum Ecclesiasticarum proprie & formaliter & secundum primariam institutionem sumptum, quatenus nimirum in titulo spirituali fundatum vendi aut permutari nequit sine Simonia, Laym. *Theol. mor. l. 4. Tr. 6. c. 6. num. 2.* juxta communem, arg. *c. ult. de rer. permut.* Secus est de eo materialiter sumpto pro sola utilitate fructuum percipiendorum præcisè à spirituali jure, quod vendi, locari, aliterve permutari, etiam laicis prohibitum non est, utpote quod ut tale temporale, & æstimationem recipit, quod qualiter fiat, vide apud me *in foro beneficiis p. 1. q. 474. Sc. & pluribus qq. sequent.*

CAPUT III.

Qualiter Simonia committatur in Materia Beneficiali?

Quaest. 86. Qualiter committatur circa Jus Patronatus?

R Esp. Ad hoc responsum à me in foro beneficii part. 2. q. 27. ubi, quòd, cur seorsim seu secundum se lumpsum vendi non possit, & quod in tali venditione committatur Simonia. Item *ibidem* q. 67. quòd Jus Patronatus reale, seu annexum v. g. castro, per se & solitariè vendi non possit sine Simonia. Item p. 2. q. 102. num. 9. ubi, quòd commissio Simonia in ejus cessione, donatione, venditione non tantùm translatio Juris Patronatus impediatur, sed etiam amittatur seu extinguitur. Item p. 3. q. 439. n. 3. ubi quòd circa Jus Patronatus committatur Simonia propter inseparabilem connexionem, quam habet cum Jure spirituali ipsius tituli beneficii. Vide quoque Castrop. *tract.* 17. d. 3. p. 14. Ubi num. 1. quod Jus Patronatus pretio vendere seu transferre sit Simonia Juris Ecclesiastici, & n. 2. ubi tanquam probabilius cum Glol. in c. *piamentis*. 16. q. 17. & Lessio *cit. c.* 35. du. 22. n. 128. & Suar. *rom.* 1. de relig. l. 4. c. 28. n. 7. censet & probat esse quoque Simoniam Juris Divini.

Quaest. 87. An & qualiter in praesentatione ad beneficia committatur Simonia?

R Esp. Videri posse me de hoc in foro beneficii part. 2. q. 100. num. 3. Ubi, quòd Simoniacum sit, dum datur vel promittitur temporale quid pro praesentatione, praeter quod in fundatione constat esse impositum; idque, etiamsi detur praesentato ignorante; secus tamen, si fiat sub conditione seu onere dicendi missas, nisi hoc onus spectaret ad praesentantem.

Quaest. 88. Qualiter committatur vel non committatur Simonia in electione & postulatione?

R Esp. Primò: committitur Simonia in electione & postulatione tam ad Praelaturas, quàm ad alia beneficia ab eo, qui etiam ceteroqui dignissimus, per se vel per alium offert dat aut praestat temporale cum expresso aut tacito pacto, aut conditione vel ex hoc motivo, ut ei in electione vel postulatione detur votum ad beneficium vel Praelaturam Ecclesiasticam, idque etiamsi ex sola gratitudine promittatur; est enim quodcumque beneficium Ecclesiasticum quid spirituale, sive consideretur ut officium Jus & Obligatio ad obeundas aliquas functiones spirituales, sive ut Jus percipiendi redditus temporales ratione officii spiritualis, quod vi beneficii praestatur; quod jus licet in se sit quid temporale, quia tamen dicto officio spirituali annexum est, spirituale reputatur, & hinc etiam ut tale vendi nequit sine Simonia, arg. *can.* 2. & *seq. caus.* 1. q. 3. c. *querelam* h. t. & c. 7. de *transact.* Quae non evitatur, etiamsi quis dicat, se officium & Jus spirituale gratis dare, & solum vendere seu dare pro temporali, Jus percipiendi redditus temporales, prout constat ex c. 7. *caus.* 1. q. 3. Ubi & ratio assignatur his verbis: *Quia quisquis horum alte-*

rum vendit, sine quo nec alterum provenit, neutrum in venditum derelinquit. Variis itaque modis committitur Simonia, & quidem primò, si pro electione particularis personae, etiam dignissimae, detur pecunia; cum tunc ematur actio spiritualis, nempe electio ipsùmque beneficium. Less. *cit. c.* 35. n. 12. Pirh. *h. t.* n. 87. Secundò, si duo electores hac ratione conveniant: dabo tibi meum suffragium in hac electione, & tu dabis mihi tuum in electione alia. Sylv. *V. Simonia.* q. 13. Azor. p. 3. l. 12. c. 3. q. 7. Pirh. *l. c.* Tertiò, si pro suffragio dando in electione promittatur alteri beneficium vel officium, arg. c. *de hoc.* h. t. & *ibi* Barbof. *num.* 3. Azor. Pirh. *ll. cc.* Quartò Simoniacum est, dare pecuniam alter, ne consentiat in electionem alicujus digni; cum Simonia committatur non solum, si detur spirituale pro temporali, sed etiam si omittatur spirituale pro commodo temporali. Glol. in c. *nemo.* h. t. *V. relatum.* Abb. *ibid.* n. 2. Pirh. *l. c.* Quintò post electionem & postulationem committitur Simonia, si detur vel promittatur temporale pro confirmatione obtinenda, vel ne contradicatur electioni, vel ne electio impugnetur ab aliquo, qui justam impugnandi vel contradicendi causam habet, Immunis tamen est à Simonia, qui dat aut promittit temporale ne eligatur indignus aut minus dignus. Less. *l. c. du.* 19. n. 113. Nav. in *man. c.* 25. n. 102. v. 8. Azor. *l. c.* Castrop. *l. c.* p. 20. n. 8. Reiffenst. *h. t.* n. 145. Cum in tali casu non detur temporale pro spirituali, sed ne spirituale indignè & malè conferatur. Licitumque sit per temporale redimere vexam injustam factam Ecclesiae. Censent nihilominus Azor. Less. *ll. cc.* Reiffenst. *num.* 146. committi Simoniam ab eo, qui dat temporale, ut neglecto minus digno, aliquis in specie, et si dignissimus, eligatur, cum hac ratione jam detur temporale pro spirituali, nempe pro electione certae personae.

2. Resp. Secundo: In eo, num si per tertium Simoniacè procuratum votum, promittendo, dando, aut praestando temporale ignorante illo, pro quo procuratum, electio tota sit irrita, ceteris legitime eligentibus, in eo, inquam, non videntur convenire AA. Affirmativam juxta expressum text. c. *nobis.* h. t. tenent in *cit. c.* 10. Andrex. *num.* 1. Anchoran. *not.* 2. Carden. *q. ult.* Barb. n. 2. Fagn. n. 3. 4. & 16. Socin. *nor.* 1. Navar. in *man. c.* 23. quos sequitur Reiffenst. *h. t.* n. 136. & *num.* 137. cum hac tamen Limitatione, nisi à tertio procuratum votum Simoniacè fraudulenter in praedictum illius, pro quo procuratum, ex ea ratione, quòd et si electus in vi talis voti non sit in culpa, electio tamen sit vitiosa, & in forma electionis sit peccatum, dum non omnes elegerunt legitime, sed unus aut alter Simoniacè, prout etiam decidit Rota apud Farin. *decis.* 22. Unde etiam hi AA. & in specie Reiffenst. *cit.* n. 137. asseverant auctoriter plures revera electiones Episcoporum, Praepositorum aliorumque Praelatorum, nec non Canonicorum, & beneficiatorum, quae per electionem conferuntur, fuisse nullas, dum vacantibus Ecclesis praesertim cathedralibus mittuntur & deputantur à magnis Principibus aliisque, qui promittendo offerendo uni vel

vel pluribus eligentibus obsequia sua, aut gratias temporales præstandas ipsis eligentibus aut etiam familiae eorum aut consanguineis sollicitant, procurant & obtinent vota pro hoc vel illo, quem hujusmodi Princeps electum cupit. Idem dicunt de Parentibus, consanguineis, aliisque, qui desiderantes alicujus certi electionem aut postulationem, promittendo, dando, præstando temporale quid, unum vel plura vota pro illo procurant, adiunguntque, eos non tantum malitiose, sed & imprudentissime agere, cum præter Simoniam, quam tam ipsi, quam eligentes committunt, sint causa nullitatis electionis, & consequenter ut is, pro quo ita laborant, beneficium, v.g. Episcopatum acceptare non possit, & si ipso facto acceptet, acceptatio sit nulla, fructusque nulliter percipiat, ac ita in continuis peccatis mortalibus, evidentissimoque aeternæ damnationis periculo versetur, donec fructus perceptos restituat, beneficiumque dimittat. Ad hæc talem electionem solere tristissimos eventus secum trahere, Ecclesiâ sub tali nulliter electo adeoque falso Pastore existente. Ad quæ proinde grandia mala avertenda, Ecclesiâ nonnullâ (& in specie cathedralis Frisingensis teste Reiffenst. *b. t. n. 139.*) providè ac sanctè sanciverunt, quod eligentes ante electionem se obstringere debeant juramento de non dando suffragio ei, qui directè vel indirectè prece vel pretio electionem vel præsentationem sui attentavit. De cætero præscindendo à tali statuto, de jure communi prohibitum non est tanquam Simoniacum, per se vel per alium rogare electores ut hic præ alio eligatur ad Episcopatum &c. & hos ad dictas preces eum eligere. Uti etiam Simoniacum non est, stante dicto statuto ad preces Candidati aut alterius illum eligere. Sed neque de jure communi prohibitum est, Principes & Magnates aliisque informare aut informati facientes Electores, eisque demonstrare merita & qualitates certi alicujus legendi, aut etiam merita domus seu familiae, ex qua talis est oriundus. Item demonstrare, quantum intersit, hunc præ alio eligere, cum etiam ad satisfaciendum gratitudini antidotali post acceptum temporale conferre spirituale licitum sit, modo in his omnibus absint promissiones aut minæ factæ eligentibus, aut eorum familiis, consanguineis, familiaribus.

E contra nihilominus tenet Castrop. *l. c. p. 20. n. 3. in fin.* citans pro hoc Abb. *in c. super. de officio delegat. n. 13.* Suar. *§. tit. in 3. part. d. 14. f. 2.* Rodriq. *in summa. tit. 2. c. 59. n. 6. concl. 3.* Garc. *de benef. p. 5. c. 5. n. 74.* nulla tamen ratione aut citato juris textu: in casu, quo Electorum unus aut plures dederunt votum suum Simoniacè alicui; major tamen & ad canonicam electionem sufficiens numerus eundem legitime & absque Simonia elegit, electionem esse validam. Quam sententiam esse contra torrentem DD. præcipuè scribentium *in cit. cap. nobis.* ait Reiffenst. Quin & citatos à Castrop. Abb. & Garc. *ll. cit.* non loqui de Simonia aliis verò locis, nimirum Abb. *in c. nobis. not. 1.* Garc. *p. 8. c. 1. n. 10. Et seq.* expressè docere electionem Simoniacam, & nullam esse, si vel uni dumtaxat temporale detur pro voto.

Quæst. 89. An & qualiter committatur Simonia in permutatione beneficiorum?

Resp. Collationem beneficii esse materiam Simoniam, jam fere constat ex dictis. Committitur autem variis modis: Primò in genere, dum temporale promittitur, datur, præstat ex tacito vel expresse pacto, conditione aut motivo, ut sibi

R. P. Leur. *Jur. Can. Lib. V.*

vel alteri conferatur beneficium, & contra si conferatur spe beneficii, ut detur vel præstetur temporale. Secundò, si collatio fiat sub spe, casu quo consecutio beneficii per dationem temporalis aut contra principaliter intendatur, secus si per dationem illam intendatur quid aliud. Tertio si pro collatione promittitur temporale, vel contra titulo gratitudinis promittitur spirituale. Secus si post collationem absque ullo antecedente pacto datur temporale, vel post acceptum temporale datur beneficium ex pura gratitudine ad satisfaciendum obligationi antidotali. Quarto si detur pro precibus aut recommendatione interposita apud collatorem in ordine ad obtinendum ab eo beneficium; Secus, si detur pro simplice informatione super meritis & utilitate candidati respectu talis Ecclesiæ, vel etiam si detur pro procuratore audientie candidato apud collatorem. De cætero Simoniam directam & inductivam pœnæ non committit, qui temporale fidè sine animo dandi promittit, uti nec, si intuitu consanguinitatis, aut metu mali temporalis beneficium conferatur. Ita ferè Reiffenst. *n. 148.*

Quæst. 90. An & qualiter committatur Simonia in permutatione beneficiorum?

Resp. De hoc me videri posse *in foro benef. p. 3. q. 87. n. 2.* Ubi, quòd in permutatione beneficiorum inæqualium quoad fructus, dignitatem, jurisdictionem conjunctam beneficio, dum inæqualitas compensanda per assignationem alicujus pensionis, spectari citra Simoniam non possit, conditio dignitatis, potestatis, jurisdictionis, similisque juris spiritualis, sed sola quantitas fructuum, vel aliorum emolumentorum spiritualium ex beneficio provenientium, ut Azor. *p. 2. l. 7. c. 29. q. 15.* Less. *l. 2. c. 35. n. 100.* Item eadem *quæst. n. 3.* Ubi quòd pactum initum inter permutantes, quo alter propria autoritate reservat sibi fructus excedentes sui pinguioris beneficii permutati, aut pensionem pro adæquatione fructuum, sit Simoniacum. Ut Navar. *l. 5. de Simon. confil. 50. n. 3.* Suar. *l. 4. de relig. c. 34. n. 9.* Chok. *de perm. p. 3. c. 7. n. 1.* contra *n. 101.* Sylv. *Sot.*

2. Quibus adde primò, nullam dari permutationem Simoniacam extra materiam beneficiale, seu nisi beneficium cum beneficio, vel nisi res spiritualis cum re spirituali beneficio annexa permutetur. Gloss. *in c. fin. de pactis V. cessare.* Abb. *in c. statumimus. de transact. n. 5.* Less. *l. cit. n. 31.* Castrop. *l. c. p. 15. n. 1.* Suar. *l. c. c. 30. n. 5.* Wiestn. *b. t. n. 26.* contra Richard. *in q. dist. 25. a. 3. q. 1.* Paulud. *ead. dist. q. 2. n. 15.* ex ea ratione, quòd spirituale respectu alterius spiritualis aut spiritualis annexi sit ejusdem ordinis, & non improporionatum, adeoque unum pro altero dari potest, absque eo, quòd unum respectu alterius rationem pretii Simoniaci habeat; sic itaque sacræ reliquiæ inter se, una functio spiritualis pro alia, vasa & vestes sacræ pro aliis propria autoritate dari, & commutari possunt citra Simoniam. His non obstantibus *c. quam pio. 1. q. 2. c. super eo. de transactionibus. c. cum pridem. Et c. fin. de pactis.* Quibus generaliter prohibetur omnis pactio, quæ pro spiritualibus consequendis fit. Cum citata jura intelligenda sint tantum de pactioibus turpibus, quales extra materiam beneficiale sunt, quæ fiunt inter rem spirituales & temporalem. Ita Abb. *l. c. Gonz. in cit. c. fin. n. 8.* Less. Castrop. Wiestner. *ll. cc. Sot. l. 9. q. 5. in fin.*

3. Secundò, quòd Simoniacum non sit, nec illicitum, ante consensum Prælati partes tractare inter se de permutatione, etiam sub onere pensionis, & se vicissim obligare, si superior consenserit, cum hac obligatio non sit permutatio, sed via ad illam, neque sit pactio absoluta, sed conditionata, quæ effectum non habet, quousque superior consentiat, Fred. de Senis de *permut. benef.* q. 38. n. 64. & 65. Cardin. in c. *quæsitum de rer. permut.* q. 39. n. 23. Valent. 2. 2. d. 6. q. 15. p. 3. Paris. de *resign. benef.* L. 6. q. 2. à n. 8. Suar. L. 4. de *Simon.* c. 3. à n. 7. Less. de *just. L.* 2. c. 35. d. 5. n. 92. Castrop. *tr.* 17. d. 3. p. 15. n. 3.

4. Tertiò, quòd permutatio beneficiorum & cuiusvis juris spiritualis concernentis beneficia, facta autoritate privata sit illicita & simoniaca jure ecclesiastico, c. *majoribus de prebendis. c. ultimo de pactis. c. quæsitum de rerum permutatione.* & ibi Abb. & Hoff. item Rebuff. in *pract. part. 3. de rer. permut.* n. 52. Redoan. de *Simon.* p. 3. c. 3. n. 3. Ugol. *tab. 1. c. 17.* Valent. *l. c. q. 26. p. 3.* Suarez. *l. c. c. 31. n. 8.* Castrop. *l. c. n. 3.* cont. Gloss. & Innoc. in *cit. c. quæsitum.* docentes, posse prebendas ejusdem Ecclesiæ & rationis privatim permutari. Estque talis actus permutationis nullus: unde non possunt permutantes beneficium propria autoritate retinere, quamvis ipso facto ea non amittant; potest tamen Superior eos in penam commissi criminis privare per sententiam beneficij; juxta c. *cum olim de rer. permut.* ita tenent Less. *l. c. d. 17. n. 100.* Garc. de *benefic. p. 11. c. 4. n. 6.* Castrop. *l. c. n. 4.* Ubi etiam, quòd privata autoritate permutantes, non incurrant censuram juxta probabilem,

5. Quartò, quòd nomine superioris (cujus consensus necessariò requiritur ad permutationem sine Simonia faciendam, juxta c. *quæsitum.* & c. *admonet. de rerum permut.*) veniat non tantum Episcopus, qui dignitatem, sed etiam, qui solum jurisdictionem Episcopalem habet, ut Capitulum sede vacante, Gloss. in *clem. unic. de rer. permut. v. concedatur.* Cardin. *ibid. q. 12.* Rota ad *tit. de rer. permut. decis. 5. & 6.* in novis Suar. *l. c. c. 32. n. 11.* Castrop. n. 5. quin & de præscripta consuetudine Prælatus alius carens jurisdictione Episcopali, Suar. *l. c. Less. c. 34. du. 36. num. 196.* Castrop. *l. c. Quin & præscindendo à tali consuetudine, posse permutationes sine consensu Episcopi approbare Prælatum, ad quem spectat collatio beneficiorum permutandorum, tenent Angel. v. permutatio. num. 5.* Sylv. *v. eod. 2. q. 2.* Sotus *L. 9. q. 5. a. 2. & q. 7. a. 2.* & ut verè probabile censent Suar. & Castrop. *ll. cit. arg. c. unic. de rer. permut. in. 6.* dum ibi dicitur: quòd approbatio & consensus Episcopi requiratur in permutatione beneficiorum, quæ ipse conferre potest, non in aliis.

6. Quintò, quòd injustum & Simoniacum sit, Episcopum aliùve Prælatum præter summum Pontificem (qui id potest, quia potest jus percipiendi fructus à spirituali separare) concedere facultatem, aut consentire, ut permutaturus beneficium suum pinguius cum tenuiore pro excessu hoc exigit pecuniam, aut quid temporale, Gloss. in c. *cum pridem de pact.* Less. *l. c. num. 104. §. ad hoc.* Suar. *l. c. à n. 10.* Castrop. *l. c. p. 16. n. 1.* apud quem *ibidem* vide, qualiter his non obstat c. *ad quæst. de rer. permut.* Sed neque de consensu Ordinarii posse inæqualitatem fructuum spiritualium v. g. decimarum, primitiarum, oblationum, annexorum beneficio pinguiori, compensari in permutatione illius cum tenuiore per impositam huic pensionem; contra Gi-

gas de pension. q. 6. Zerol. in *praxi Episcopali p. 2. v. pensio. n. 1.* Gonz. ad *reg. 8. cancell. gl. 5. n. 27.* Roman. *tr. de pensio. c. 15. num. 10.* Navar. *conf. 43. de Simon. n. 4.* Delphinus de *jurep. L. 1. q. 18. n. 186.* Docent *Garcias de benef. p. 1. c. 5. n. 341.* Suar. *l. c. n. 16.* Valent. 2. 2. d. 6. p. 3. in *fin.* Rodriq. *tom. 2. sum. 6. 65. n. 6.* Aragon. q. 100. a. 4. *vers. est aliud.* quos citat & sequitur Castrop. *l. c. n. 3.* ex earatione, quòd Episcopus beneficia conferre nequeat cum diminutione, quod faceret consentiendo imponi pensionem. Ad hæc, ut valent; consuetudo hujusmodi facultatem denegaverit Episcopis. Unde etiam Simoniacum est, partes inter se absque ordine ad consensum Pontificum convenire, ut unus, scilicet, cui facta est resignatio, intèrè solvat expensas bullarum pertinentium ad utrumque; quia in tali pactioe exigitur à resignatario aliquod onus pretio æstimabile, quod de jure non inest, cum de jure proprias bullasolvere teneatur, Garc. de *benef. p. 11. c. 3. §. 2. n. 147.* Navar. *L. 5. confil. iii. de Simon. conf. 50. & 51.* Paris. de *resign. L. 14. q. 7. n. 9.* Suar. *l. c. num. 19.* Castrop. *l. c. n. 5.*

Quæst. 91. Qualiter Simonia committatur in reservatione, cessione, & translatione pensionum?

R Esp. Videndum me de hoc in foro benef. p. 3. q. 435. ubi, quòd factum Papæ tollat vitium Simoniæ, etiam mentalis, etsi ante resignationem resignans & resignatarius tractaverint & consenserint sub beneplacito Apostolico de solvenda annuatim pensione; pro quo citantur Azor. p. 2. L. 7. c. 21. q. 1. Corrad. p. 2. *benef. L. 5. c. 2. n. 1.* Paris. de *resig. L. 6. q. 2. num. 67.* item p. 3. q. 664. n. 4. ubi, quòd cessio seu remissio pensionis facta à pensionario ad datam pecuniam, vel anticipatam solutionem citra beneplacitum Apostolicum sit Simoniacæ, pro quo citatur Card. de Luc. de *pens. disc. 5. n. 3. & d. 68. n. 23.* item q. 665. ubi, quòd extinctio pensionis taliter simoniacè facta, præjudicet tam titulari, quam pensionario inducendo penas statutas Simoniacis, & vacationem seu amissionem beneficii; citaturque pro hoc Card. de Luc. *cit. d. 5. num. 9.* item p. 3. q. 629. ubi, quòd licet pensionarius etiam habens à Papa potestatem transferendi pensionem, pro pecunia, tamen aut pretio transferre eam nequeat, & si id faciat, committat Simoniam in sententia sententiam, pensionem esse rem spirituales, absque eo tamen, quòd incurrat censuram.

2. Quibus adde primò, pensiones merè temporales, quæ etiam Laicis pro ministerio temporali, vel etiam ob aliam justam causam assignari & competere possunt ex redditibus ecclesiasticis citra titulum spirituales, absque Simonia vendi & redimi posse, cum non fundentur in titulo spirituali, nec ei sint annexæ, sed ab eo legitime separatae, nec ordinantur ad functionem spirituales, Less. *L. 2. c. 35. n. 123.* Suar. *l. c. c. 26. n. 5.* Laym. *Lib. 4. tr. 10. c. ult. §. 5. n. 46. q. 3.* Pirh. *b. t. n. 96.* Contra pensiones propriè spirituales, scilicet quæ dantur in titulum beneficii, ad juvandum v. g. Parochum in officio suo, vocarique solent Capellanæ, vel etiam ad serviendum tantum in choro, vel officijs divinis, utpote propriè dicta beneficia, quia fundata in titulo spirituali perpetuo, & canonicè instituta. Item pensiones, quæ loco beneficii ad spirituale ministerium dantur, v. g. Coadjutori, vel Vicario Episcopi, aut Concionatori, sine Simonia vendi aut redimi

redimi non posse, Less. l. c. n. 122. Suar. l. c. n. 19. & 20. Laym. l. c. n. 47. Pirh. n. 97. quamvis ipsi fructus talium pensionum ad tempus vitæ talis pensionarii ab eo citra jus ipsum percipiendi, vendi & locari possint, Laym. Less. Pirh. ll. cir.

3. Secundo: Pensiones mixtæ, nimirum quæ dantur Clericis, quæ Clericis, seu ratione status clericalis, non ob ministerium spirituale, sed ob aliam causam, quia dantur v. g. Parocho seni, qui amplius Ecclesiæ deservire nequit, vel pauperi Clerico ad ejus sustentationem, vel ob resignationem factam in favorem tertii ex natura rei, & de jure communi antiquo emi ac vendi poterant, cum in nullo titulo spirituali fundentur, aut ei annexæ sint, neque ex eo, quod dantur intuitu status clericalis, aut præhabiti beneficii quidquam spirituale continent, sed status ille & officium præhabitu habeant se per modum conditionis, denunturque, non ut stipendium seu merces ministerii, utpote quod præterit, sed ut elemosyna quædam separata à bonis beneficii, Less. n. 126. Suar. n. 24. Pirh. num. 98. Nihilominus juxta stylum Curie Romanæ, & jure novo post decretum Pii V. istiusmodi pensionum venditiones ut Simoniacæ prohibentur, Less. n. 125. Suar. l. c. n. 7. a. 8. Laym. n. 48. Pirh. l. c. siquidem Pius V. annexiuit officium B. V. & ita respiciunt ministerium aliquod spirituale, ob quod dantur, Less. Suar. Pirh. l. c. qui tamen tenent, posse eas redimi pecuniâ, quia sic temporale pro spirituali non commutatur, sed solum extinguitur onus aliquod, seu obligatio temporalis, solvendi aliquam pecuniam: vide de his pluribus cit. AA.

Quæst. 92. An & qualiter committatur Simonia in resignatione beneficiorum?

Resp. Materiam hanc de Simoniaca resignatione beneficiorum tractaram à me fusè & accuratè in foro beneficiali. p. 3. q. 723. & seq. ad quæst. usque 758. ubi quæst. 723. An resignatio facta simoniacè, & inde secuta collatio beneficii resignati sit nulla ipso jure? Quæst. 725. Quænam resignatio censetur facta simoniacè? Quæst. 726. An & qualiter autoritas & beneplacitum Apostolicum excludat Simoniam à resignatione? Quæst. 727. An resignatio facta coram Ordinario in favorem alicujus, & non aliàs, seu aliter sit Simoniaca? Quæst. 728. An etiam Simoniacum sit, aut alias illicitum, resignare beneficium coram Ordinario liberè quidem, cum ea tamen intentione, spe, supplicatione, ut conferatur certæ personæ? Quæst. 729. An Simoniacum sit resignare coram Ordinario sub alia conditione, v. g. sub reservatione pensionis vel fructuum. Quæst. 730. An Simoniacum sit resignare coram Ordinario ad effectum unionis, sub conditione reservandorum sibi fructuum beneficii uniti? Quæst. 731. An Simoniacum sit resignare coram Ordinario sub conditione, quæ de jure inest? Quæst. 732. An Simoniacum sit resignare (idem est de conferre) beneficium sub conditione, quæ quidem non inest de jure, seu non annexatur ipsi beneficio; continet tamen aliquid aliàs de jure debitum resignanti vel collatori, v. g. ut resignatarius solvat, quod aliàs debet, & in quo solvendo erat injustè morosus? Quæst. 733. An Simoniacum sit, resignare beneficium, ut resignatarius resignanti, vel alteri ferat suffragium in electione aliqua aut præsentatione, seu ademptione alicujus beneficii vel officii. Quæst. 734. An Simoniacum sit resignare in favorem Titii, ut is resignantem moneat, seu certiorum faciat, ubi beneficium aliquod in urbe Titii vacabit? Quæst. 735.

An Simoniacum sit, resignare ea conditione, ut resignatarius resignet beneficium suum in favorem resignantis, aut alterius, puta amici, nepotis. Quæst. 736. An Simoniacum sit resignare vel conferre beneficium pingue sub onere, ut resignatarius resignet simpliciter seu purè minus pingue, ut illud confertur possit alteri. Quæst. 737. An Simoniacum sit, coram Ordinario resignare beneficium in favorem tertii, ex causa permutationis, dum tertius ille non habet beneficium permutandum? Quæst. 738. An Simoniacum sit resignare cum pacto, ut resignatarius solvat expensas jam factas à resignante in beneficio illo consequendo? Quæst. 739. An Simoniacum sit, si resignatarius solvat omnes expensas, quæ in conficiendis expediendisque literis Apostolicis factæ sunt; ita, ut solvat etiam eas, quæ à resignante faciendæ essent ob fructus vel pensionem certam ei reservatam? Quæst. 740. An Simoniacum sit, dum ex conventionem resignantis & resignatarii exprimitur, major vero ad effectum, ut obtineatur à Papa reservatio pensionis, aut majoris pensionis super beneficio? Quæst. 741. An Simoniacum sit resignare, ut resignatarius solvat expensas factas à resignante in beneficio jam obtento, v. g. in reparanda Ecclesiâ, vel domo beneficiali, aut fundis beneficalibus meliorandis? Quæst. 742. An sit Simoniacum resignare ea lege, ut resignatarius reparet Ecclesiâ, in qua situm beneficium, vel certam summam in illam reparationem conferat, administret ibidem Sacramenta &c. Quæst. 743. An Simoniacum sit, resignare in favorem alicujus (idem est de conferre) ob recompensam seu remunerationem servitorum prælatorum? Quæst. 744. An Simoniacum sit, resignare, (vel, quod idem est, quoad præsens institutum) conferre alteri beneficium, ad consequendum aliquid temporale tanquam finem; & è contra dare seu exhibere temporale aliquid ad obtinendum beneficium per resignationem, collationem, vel etiam per præsentationem? Quæst. 745. An Simoniacum sit, dare tanquam gratuitam compensationem temporale pro spirituali, vel contra, v. g. dare temporale pro beneficio resignato collato, vel præsentatione ad illud; vel beneficium resignare, conferre pro temporali aliquo sibi dato aut exhibitio? Quæst. 746. An Simoniacum sit resignatarius (& in genere recipientem aliquid spirituale vel spirituali annexum) facere resignanti beneficium, vel danti spiritualem donationem merè spontaneam, gratuitam, purè liberalem, in hoc distinctam à compensatione gratuita, quod non sicut illa detur pro spirituali, quamvis fiat præcedente datione rei spiritualis? Quæst. 747. An & qualiter Simoniacum sit, resignare, vel conferre beneficium, exigendo à resignatario juramentum fidelitatis? Quæst. 750. An Simoniacum sit, resignatione vel collatione beneficii redimere vexam sibi factam in bonis, fama, vita? Quæst. 751. An Simoniacum sit, resignare liti super beneficio pro pecunia? Quæst. 752. An resignare expectativæ, quam quis habet ad beneficium proximè vacaturum, pro pecunia vel sub pacto adipiscendæ pensionis vel beneficii sit Simoniacum? Quæst. 752. An & qualiter committatur Simonia confidentialis in resignatione & provisione beneficiorum?

Quæst. 93. An Simoniacum sit, dare temporale quia ad redimendam vexam ortam circa consecutionem vel possessionem beneficii?



R Esp. Videndum me desuper in foro beneficiali. p. 3. q. 749.

Quest. 94. An Simoniacum sit ab eo, qui de novo receptus in Canonicum, pro vel in admissione in possessionem Canonici vel beneficii, vel ad perceptionem distributionum, ante vel post

exigi vel solvi quid temporale, v. g. pecuniam aliquam, vel partem fructuum primi anni prandium vel convivium, & similia pro Canonico vel beneficiario illius Ecclesie?

R Esp. Videndum me desuper in for. benef. part. 3. q. 748.

CAPUT IV.

De amissione, dimissione, vacatione beneficiorum simoniace obtentorum, & pœnis Simoniacorum.

Quest. 95. An & qualiter Simonia commissa in resignatione præjudicet resignanti, aut etiam commissa ab uno ex resignantibus noceat alteri ignorantibus?

R Esp. Videndum me desuper in for. benef. part. 3. q. 759.

Quest. 96. An & qualiter, & cui restituendum pretium acceptum in resignatione & collatione beneficiorum?

R Esp. Videndum me in foro benefic. part. 3. q. 755.

Quest. 97. An & qualiter simoniace provisus, de beneficio teneatur illud dimittere?

R Esp. Videndum me desuper in for. benef. p. 3. q. 374.

Quest. 98. An ob Simoniam vacet beneficium, & reservetur Papæ?

R Esp. Videndum me de hoc in foro beneficiali. p. 2. q. 589.

Quest. 99. Simonia, qualiter constare debeat, aut ea, quomodo probetur in ordine ad incurrendas pœnas?

R Esp. Videndum me in for. benef. p. 3. q. 203.

Quest. 100. An & qualiter ob Simoniam mentalem & confidentialem infligitur privatio beneficiorum?

R Esp. Videndum me in for. benef. p. 3. q. 200.

Quest. 101. An & qualiter vacent beneficia ob Simoniam confidentialem?

R Esp. Videndum me in foro benef. p. 3. q. 20.

Quest. 102. An & qualiter de Simonia (& in specie de confidentiali) constare debeat, eaque probari in ordine ad eam puniendam, impetrandumque beneficium, circa quod commissa?

R Esp. Videri me posse de hoc in for. benef. part. 3. q. 203.

Quest. 103. An & qualiter ob Simoniam mentalem, & conventionalem realem infligantur privatio beneficiorum, aliæque pœnae.

R Esp. De hoc videri me posse in for. benef. part. 3. q. 200.

Quest. 104. Ob Simoniam confidentialem, qualiter inducantur privatio beneficiorum, aliæque pœnae?

R Esp. De hoc videndum for. benef. part. 3. q. 201. & 202.

Quest. 105. Quæ pœnae incurrantur propter commissam Simoniam realem circa beneficia ecclesiastica?

1. **R** Esp. Primò: Quasi recapitulando, & in unum locum recolligendo has pœnas, de quibus sparsum, & veluti incidenter dictum in antecedentibus. Et primò quidem ipso jure incurritur excommunicatio Pontifici reservata, à quocumque, qui beneficium ecclesiasticum quodcumque, sive sæculare, sive regulare, (proprie tamen tale, quale non est pensio, vicaria temporalis &c. ut Less. l. c. n. 137. Suar. l. c. c. 56. n. 6. Pirh. h. t. n. 167.) procurat vel recipit conferendo, eligendo, postulando, presentando, commendando ad illud, confirmando, instituendo, constat ex *extrav. 2. h. t.* & ex Bulla Sixti V. hujus Pontificis V. qua incipit: *Cum pridem.* & ex AA. *cit. cum communi.*

2. **R** Esp. Secundò: Quævis collatio, provisio & acquisitio Simoniaca talis beneficii est ipso jure nulla, ita, ut provisus jus nullum acquirat, nec fructus faciat suos, & ad eorum omnium restitutionem, uti & ad dimissionem beneficii teneatur, alias in æternum periturus, juxta *cit. extravag. can. si quis caus. 5. q. 1. & c. Matheus h. t.* ita tamen, ut electio & presentatio legitime facta non irritetur, adeoque non egeat irritatione per subsistentem confirmationem, & institutionem factam simoniace, Less. n. 138. cujus contrarium est, si in priori actu commissum, cum tunc omnes actus subsequentes sint irriti.

3. **R** Esp. Tertiò: Non tantum beneficium simoniace obtentum, ante omnem sententiam dimitendum, sed & ad idem obtinendum, deinceps in perpetuum reddatur inhabilis, nisi Papa dispenset, ut tenet communis post citatam Bullam Pii V. *tum pridem.* quidquid videatur dici in *c. penult. de elect. & c. nobis fuit. v. ab Episcopo.* contrarium, nempe talem non nisi pro illa vice esse inhabilem ad illud beneficium obtinendum. Quamvis autem simoniace obtinens beneficium reddatur quoque inhabilis ad obtinenda quæcumque alia beneficia, juxta expressa verba *cit. bullæ cum pridem:* *Navar. tamen cons. 92. h. t. Suar. l. c. c. 58. n. 11. Less. L. 2. de just. c. 35. dn. 26. Castrop. l. c. p. 25. n. 7. Pirh. h. t. n. 170. & alii,* sentiunt, dictam bullam quoad hoc non esse uti receptam, vel ante sententiam Judicis condemnatoriam, aut saltem declaratoriam ad hanc pœnam non obligare in conscientia, adeoque aliud beneficium licite & valide obtineri posse sine ulla

ulla dispensatione, nisi prior illa Simonia deducta jam fuerit ad forum contentiosum, & talis pro Simoniano condemnatus vel declaratus.

4. Resp. Quartò: Privat quoque Simonia beneficiis aliis priùs legitime obtentis, non tamen ipso jure, seu ante sententiam Judicis condemnatoriam de commissa Simonia; cum jus nullibi hanc pœnam inducat, Abb. in c. cum Clerici, de pœnis, n. 2. Felin. in c. insinuatum, h. t. Navar. l. c. Suar. l. c. n. 6. Castrop. l. c. n. 4. Pirh. n. 169. Reiffenst. h. t. n. 269. Quòd autem per sententiam privari possit præhabitis beneficiis, docent AA. juxta clarum textum c. 2. de confessis. non autem eo ipso privatur quoque fructibus perceptis dictorum beneficiorum, nisi hoc ipsum in ea sententia, ut fieri potest, exprimat, Suarez. Pirh. Reiffenst. ll. cc. in conscientia tamen sicut beneficium simoniacè obtentum dimittere, ita & fructus ex eo perceptos restituere debet, quantumcumque Simonia sic occulta.

5. Resp. Quintò: Simoniacè obtinens beneficium perpetuò deponendus ab altaris ministerio seu officio, prout constat ex cap. erga Simoniacos. 1. q. 1. ex cap. de hoc h. t. c. 2. de confessis. quæ tamen pœna non incurritur ipso jure, sed per sententiam est infligenda, arg. cit. textuum, maximè c. de hoc. Porro per depositionem perpetuam ab altaris ministerio, intelligi eandem pœnam, quæ statuitur c. 2. de confessis, nempe depositionem ab officio & beneficio, sive agatur per viam accusationis, sive per viam inquisitionis, cum Gloss. in cit. c. deponendi, tradit Pirh. h. t. n. 165. Non tamen Simoniacus in beneficio deponitur ab ordine, si contra eum procedatur per viam inquisitionis tantum: quamvis & pœna depositionis ab ordine, si Simonia notoria sit, imponi possit, juxta c. qualiter. de accus. & c. 2. cum ab homine. de judicis.

Quæst. 106. Quæ pœne Simoniæ in casu, quo quis beneficium obtinuit per Simoniam ab alio commissam.

Resp. Qui per Simoniam realem ab alio, v. g. à parente, consanguineo, amico &c. commissam, nulliter beneficium acquisivit, teneat illud unà cum fructibus ante omnem sententiam Judicis dimittere, quamprimum rescit Simoniam in eo commissam, etsi id priùs nescivit, adeoque bona fide accepit & frui cepit: ita unanimes, & certa ob claros textus juris. c. non fuit. & c. sicut tuis. h. t. c. de elect. can. 1. caus. 1. Non tamen tenetur quis in hoc casu restituere quoque fructus, quos bona fide consumpsit, aut quos percepit tanquam condignum stipendium sui ministerii spiritualis bona fide præstiti, Suar. l. c. c. 57. n. 36. sed neque is, in cuius odium ex fraude alterius beneficium eo ignorante obtinuit, etsi resciat simoniacè obtentum, illud aut fructus restituere, cum in eo casu provisos fuerit licitè & validè, juxta c. nobis fuit. h. t. ex ea ratione: quòd non sit indulgentum malitiis hominum, & non debeat aliquis alterius odium prægravari. c. 22. de reg. jur. in 6. idem dicendum, si ille cum ignorantia beneficium per tertium simoniacè obtentum per triennium bona fide possedit, Suar. l. c. n. 9. Less. cit. c. 35. du. 25. n. 140. Castrop. cit. p. 25. n. 3. Reiffenst. h. t. n. 278. cum per triennium beneficium titulo colorato possidens pacificè, super eo amplius molestari nequeat juxta reg. cancell. 36. de triennali, non obstante, quòd vi ejusdem regulæ ad fruendum favore ejusdem requiratur, quòd sine ingressu Simoniano beneficium obtinuerit: quia id in-

telligendum de eo, qui per seipsum beneficium simoniacè obtinuit, vel per alterius Simoniam, si statim vel saltem intra triennium id rescivit, cum tunc bona fide non possederit. Neque etiam beneficio hujus triennalis possessionis pacificæ derogatur quoad præsens punctum, quòd c. sicut tuis. h. t. dicatur, parvulos, qui per parentes datâ pecuniâ obtinuerunt Ecclesiam, eam debere dimittere, cum tamen illi ignari Simoniæ possederint per plures annos ultra triennium. Nam potius contrarium dicendum, & per cit. regulam cancellaria. utpote posteriorem, cit. c. sicut tuis. similibusque Canonum statutis, utpote prioribus, esse derogatum, ut Reiffenst. h. t. n. 279. vel dicendum, quòd cit. c. tuis. intelligendum de parvulis, qui Simoniam commissam à parentibus resciverunt, aut intra triennium parentibus incautè propalantibus, quantum in eos impendere debuerint. Item idem dicendum, seu non dimitendum beneficium, cujus provisio valida in casu, quo sciente aliquo simoniacè per alium procurari sibi beneficium, ante collationem contradixit, dum alter, eo dein incio, pergens in sua Simonia reipsâ procuravit illi beneficium, isque illud recepit bona fide, putans illud absque Simonia sibi obvenisse, Reiffenst. n. 280. & 281. juxta expressum textum cit. c. sicut tuis.

Quæst. 107. Quæ pœne Simoniæ commissæ circa susceptionem & collationem Ordinum?

1. Resp. Primò: Committens Simoniam realem ex utraque parte completam, tam conferendo, quam suscipiendo Ordines, sive dando, sive recipiendo temporale, ipso facto incurritur excommunicatio Papæ reservata, ut constat ex extrav. 2. h. t. Neque enim sibi imponitur hæc pœna solis committentibus Simoniam realem in beneficiis: Etsi hæc pœnam statuens Pontifex, immediatè ante loquatur de beneficiis; sed comprehendit totam materiam, etiam antecedentem, in qua mentio facta de Simonia commissâ in materia Ordinum; ita cum Less. & Laym. Pirh. h. t. n. 156. & Reiffenst. n. 258. Dum autem dicitur, ipso facto incurri hæc pœna, id speciale est, in quantum nulla pœna juris ob Simoniam etiam realem incurritur ipso facto præter commissam in ordine, beneficiis, ingressu in religionem, ut Nav. in man. c. 23. n. 111. vers. 6. & 7. Suar. l. 4. de Simon. c. 55. n. 5. Less. cit. c. 35. n. 130. Pirh. h. t. n. 154. Porro nomine ordinum hic veniunt tam minores, quàm majores, ut quorum quolibet confertur specialis potestas in ordine ad Sacerdotium, in quo character Ordinis completur, Suar. l. c. c. 56. n. 4. Barbof. in cit. extrav. 2. n. 8. Pirh. n. 56. Quinimo dictam excommunicationem locum habere in conferentibus & recipientibus primam tonsuram, tenent Suar. l. c. n. 5. Laym. l. c. c. ult. §. 7. n. 79. Pirh. l. c. aliisque apud Barbof. l. c. n. 8. contra Less. ex ea ratione allata à Pirh. tum quòd communi modo loquendi per primam tonsuram dicatur quis ordinari, id est, in ordine Clericorum constitui, & in hoc sensu prima tonsura sit Ordo; tum quia aliæ quoque pœnæ statutz contra Simoniacos in Ordine, habent locum in collatione primæ tonsuræ. Notarium tamen, qui pro expeditione dimissoriarum, aut sigillo accipit aliquid, non incurritur excommunicationem, probabile center Pirh. l. c. eò, quòd Trid. sess. 21. c. 1. de reformatione, ad eum non extendat excommunicationem.

2. Resp. Secundò: Præter excommunicationem, conferens ordines per Simoniam realem completam & per-

& perfectam accepto, vel re aliqua æquivalente spectato jure communi decretalium, ipso facto est suspensus à collatione omnium Ordinum saltem ad triennium, juxta *c. 45. h. t.*, ubi idem dicitur de præsentatore ad ordines. Dicitur primò: *Per Simoniam realem completam*, qualis non est, dum non intervenit datio alicujus pretii, aut remissio obligationis jam ortæ, seu juris acquisiti, dum ordinandus jurato promisit se, postquam ordinatus, non exacturum sustentationem ab ordinante, sed eam remissurus pro tempore, quo debetur, adeoque Simonia realis directè non fuit commissa, unde mitius puniri debet per suspensionem temporalem seu triennem. Dicitur secundò: *Speñtato jure communi decretalium*: nam ex nova constitutione Sixti V. quæ incipit: *novum & salutare*, ejusdem Pontificis 91. simoniacè conferens Ordines, à collatione quorumcumque Ordinum, atque adeo primæ tonsuræ, & ab executione omnium munerum pontificalium eò ipso suspensus, & ab ingressu Ecclesiæ interdictus existit; quarum censuratum abolitionem, etsi Simonia sit occulta, sedi Apostolicæ reservat. Quas etiam censuras & pœnas contra simoniacè ordinantes & ordinatos permanere voluit Clemens VIII. in *constit. sua* 40. quæ incipit *Romanum*. Etsi quò ad alia quædam Bulla Sixti V. ad terminos juris communis reduxerit. Insuper ut expressè habet *cit. constitutio* Sixti V. si memoratum interdictum violet ordinans, præter irregularitatem, quam incurrit vi, *c. 1. & 20. de sent. excom.* suspensus est à regimine & administratione suæ Ecclesiæ, & perceptione omnium fructuum suorum beneficiorum; independenter quoque à dictis bullis, si Simonia ab ordinante commissa non est occulta, sed manifesta, & is de ea accusatus convinceretur, à suo gradu & officio ecclesiastico est deponendus vi. *cap. si quis Episcopus. caus. 1. q. 1.* Etsi hoc depositio non ipso jure, sed per sententiam Judicis infligenda, ut Reiffenst. *h. t. n. 260.* citans Pirh. *h. t. n. 168.* qui tamen ibi loquitur, non de simoniacè ordinante, sed de eo, qui expulserit ab Ecclesia ordinatum, (id est, titè & canonicè institutum) & in ejus viventis locum successerit. Et hæc de suspensione à collatione & exercitio Ordinum, intelligenda quoque de præsentatore ad ordines, ut Pirh. *h. t. n. 159.* quo nomine venit Archidiaconus, seu is, cujus officium est, examinare ordinandos, inquirere in eorum titulum, an sufficiens sit ad ordines, & postmodum præsentare Episcopo ordinandos. Nunc etiam de suspensione, aliisque pœnis incurtendis à simoniacè ordinato.

3. Resp. Tertiò: Ordinarius quoque simoniacè scienter, præter excommunicationem (quam etiam ipso jure seu facto incurrit arg. *c. 1. reperimus. q. 1.* juncta *Extravag. cum detestabile. h. t.* ipso jure est suspensus ab executione omnium ordinum tam simoniacè susceptorum, quam aliorum, etsi crimen sit occultum, arg. *cit. c. cum detestabile. §. 1.* loquentis indefinitè: *omnium ordinum suorum*, adeoque non restringendum ad solos ordines simoniacè susceptos, ut Less. *l. c. n. 135.* Laym. *l. c. num. 7.* Pith. *h. t. n. 160.* Reiffenst. *n. 262.* cum communione DD. Et si in tali suspensione adum alicujus Ordinis exercuerit, incurrit etiam irregularitatem, *c. Apostolica de cler. excom. & c. is, cui de sent. excom.* Insuper incurrit privationem omnium officiorum & beneficiorum, & inhabilitatem ad ea, si fuerit sæcularis; Et, si fuerit regularis, privationem vocis activæ & passivæ, & inhabilitatem ad ea, prout constat ex *cit. Bulla Sixti V.* quæ etiam harum

pœnarum absolutionem sedi Apostolicæ reservat cum derogatione, *Trid. sess. 24. c. 6.* ita, ut etiam si Simonia sit occulta, nihil circa absolutionem ab ea, possit Episcopus, Reiffenst. *cit. n. 262.*

Quæst. 108. Quæ pœnæ in jure statuta contra Simoniam admissam in religionis ingressu?

Resp. Tres sequentes; prima, quòd tam dantes, quam recipientes aliquid simoniacè pro ingressu & receptione in religionem incurtant ipso facto excommunicationem, si sint personæ sæculares, *extrav. 1. de Simon.* & si Capitulum seu Conventus consenserit in illam Simoniæ, ipso jure suspensionem generalem ab officio capitulari quoad jurisdictionem & administrationem ecclesiasticam, non quoad alia munia, *cit. extrav. 1.* Secunda, quòd simoniacè suscepti per *c. veniens de regul. & c. quoniam. h. t.* jubentur de suo monasterio ad aliud artius expelli ad agendam pœnitentiam sine spe restitutionis; quòd etiam vi *cit. c. quoniam.* intelligendum de Abbatibus, & majoribus monasterii personis, quamvis tam hi, quam privatæ personæ in certis casibus dispensativè remanere in suo monasterio, sed nec inde exire teneantur, priusquam per superiorem compellantur, se ad aliud monasterium conferre, ad quòd compelli nequeunt, nisi de commissa Simonia convicti & condemnati, Castrop. *p. 23. n. 1.* citatis Ugol. *tab. 1. c. 16 §. 4.* Less. *l. c. n. 132.* Suarez. *cit. c. 57. n. 8.* Tertia, quòd incurrant infamiam juris, & consequenter fiant irregulares, dum delictum est notorium notorietate juris aut facti, *Extrav. 1. h. t. §. certum.* Theaur. *de pœn. Eccles. p. 2. v. Simon. c. 10. n. 2. & 3.* Reiffenst. *h. t. n. 225.* Porò hic sequentia notanda; primò, quòd etsi Simonia incurratur statim per ingressum Simoniacum in novitiatum, præstatæ tamen pœnæ juris non incurrantur, nisi secuta professione, seu dicto ingressu completo per professionem. Unde regulares, si simoniacè pecuniam, vel quid aliud promissum non recipiunt, aut receptum restitunt ante professionem, vel etiam ad sæculum redeunt professionem non emittant, dictam suspensionem non incurunt, nec infames, nec irregulares, nec excommunicati fuerunt aut sunt; ita Castrop. *l. c. n. 3.* Pirh. *h. t. n. 71.* Reiffenst. *n. 255.* Secundò, quòd, ut Less. *l. c. n. 131.* ex Navar. & Silv. apud Castrop. *l. c. cit. Extravag. 1.* saltem quoad pœnam excommunicationis non sit recepta. Tertiò, quòd secuta professione, etsi dictæ pœnæ incurrantur, ea tamen non sit invalida, & consequenter talis simoniacè professus ad sæculum redire, & nubere nequeat, licèt mandante legitimo superiore ad artius monasterium transire debeat, Less. *l. c.* Sanchez. *L. 2. consil. c. 3. du. 104. num. 5.* Navar. & alii. Quartò, quòd etsi moniales (idem est, de aliis regularibus) monasterii habitantis jam sufficientes reditus pro sustentandis etiam de novo ingredientibus, Simoniæ committant juxta dicta supra, si pro ingressu in religionem temporale quid exigant, etsi dicant, se id facere seu exigere loco dotis ad honestam ingressæ sustentationem, non tamen, ut asserit Reiffenst. *h. t. n. 256.* incurrant dictas pœnas; vide de hoc Pirh. *h. t. n. 71.*

Quæst. 109. Quis sit Judex competens in crimina Simonie?

Resp. In crimine Simonie cognoscere, & de eo definitivè pronunciare, seu esse Judex, nequit Sæcularis, seu Laicus, sed solus Ecclesiasticus, etsi

teus sit Laicus; cum obiectum illius, & consequenter causa sit spiritualis, cuius cognitio & sententia pronuntiatio iuxta c. 2. de iudiciis, pertinet ad solos iudices Ecclesiasticos ita cum communiter recepta Gloss. in c. cum sit. de for. compet. V. malefactores. Abb. ibid. Clar. l. 5. §. Simonia, num. 7. Pirh. h. t. n. 142. Reiffent. n. 348.

Quest. 110. Quisnam possit esse accusator & testis in hoc crimine?

1. Resp. ad Primum Accusator in eo esse potest quilibet Catholicus, etiam servus & criminofus, ut constat ex c. si dominus. h. t. idque speciale in crimine Simoniae, ut etiam servi acculare possint dominos Simoniacos, cum aliis servi regulariter stare non possint in iudicio, iuxta L. vix certus, ff. de iudic. Abb. in c. si dominus n. 2. item meretrix, quae aliàs ad accusandum vel testandum non admittitur, uti nec ad actus alios legitimos propter vilitatem l. 29. c. ad L. Juliam de adult. l. 3. §. Lege Julia, ff. de test. Ex quibus etiam colligitur, quod sub generali dispositione, qua criminofus ad aliquos actus admittuntur, non admittatur meretrix, nisi de ea caveatur, ut Abb. l. c. num. 3. Pirh. h. t. n. 143. in fine. Modò tamen criminofus non sit praecisus ab Ecclesia per sententiam canonis vel iudicis, non suspensus vel interdictus ut Gloss. in cit. c. si dominus. V. ad accusatorem. Pirh. l. c.

2. Resp. Ad Secundum, sicut quilibet aliàs de iure habilis ad accusandum, v. g. criminofus, potest esse accusator; ita etiam testis esse potest contra Simoniacos, modò non sit capitalis hostis rei aut conspirator in eum. c. Heli. c. per tuas. h. t. & ibi DD. communiter. Et hoc praecipue si criminofus sit emendatus, cit. c. per tuas, nisi forte sit perjurus, cum is etiam emendatus non admittatur ad testificandum; cum, qui semel perjurus timeatur rursus perjuratorus, arg. L. si qui §. 3. ff. de accus. item Gloss. in cap. per tuas. V. furti. Abb. ibid. n. 10. Pirh. h. t. n. 150. Reiffent. num. 351. iuxta c. parvuli. caus. 22. q. 5. & c. testimonium. de testib. Non tamen criminofus plenè probant sine adminiculis vel aliis indicis, arg. cit. per tuas. & Abb. ibi. n. 4. Pirh. n. 150. Reiffent. n. 350.

Quest. 111. Quinam absolvere possint ab excommunicatione, suspensione, & depositione incurfa ob Simoniam?

1. Resp. Primò ob incurfam Simoniam commissam in provisione & receptione beneficiorum, ordinum, & ingressu in religionem absolvere potest solus Papa, utpote cui hac absolutio reservata, per extrav. 1. & 2. h. t. Ex speciali tamen Privilegio, etiam Episcopi & religiosi mendicantes, utpote quibus concessum absolvere à casibus Papae reservatis, modò non sit publica, & ad forum contentiosum deducta. Suar. l. c. c. 61. n. 4. Castrop. p. 8. n. 2. Reiffent. num. 333. Pirh. h. t. num. 72.

2. Resp. Secundò à suspensione quoque, quae suspensus est Simoniace Ordinem recipiens ab executione illius, uti & ab ascensu ad Superiores Ordines, & conferens à collatione ordinum absolvere potest relaxando hanc suspensionem solus Pontifex, utpote ei reservata c. penult. de Simon. Suar. l. c. n. 5. & seq. Castrop. Pirh. h. t. cit. citra quod potestas delegata, seu Privilegium absolvendi ab ea in ordine ad dictos effectus competat mendicantibus. Quin & licet probabile censet Suar. posse Episcopum

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. V.

dispensare in hac suspensione in ordine ad exercendos ordines alios legitime susceptos, aut etiam ad ascendendum ad Superiores Ordines, contrarium tamen censet probabilius. Idem dicendum de suspensione incurfa à capitulo & conventu regulari propter Simoniacam receptionem Religiosi, ait Castrop. cit. n. 2. in fine.

3. Resp. Tertiò: Infamia & depositio ab officio & beneficio ob commissam Simoniam inflicta, quòd non nisi à summo Pontifice aboleri possit, speciale est, quia haec poena ex suo genere perpetua sunt. Castrop. l. c. n. 1. Et haec de poenis Simoniae jam incurfis. Quod enim attinet poenas ipso iure latas & per sententiam inferendas, nondum tamen inflictas, aut etiam latas, nondum executioni datas, ne inferantur aut executioni dentur, vel etiam perseverent tempore, pro quo latae fuerunt, solus Pontifex impedire potest, ita ut ab inferiore iudice impediri aut auferri nequeant; Quamvis tamen Castrop. l. c. probabile dicat, posse Episcopum impositam triennem suspensionem ante transactum triennium auferre. De cetero dum Pontifex ante Simoniam commissam dispensat, ut poena ea commissam non incuratur, sensus non est, quòd dispenset quoad culpam, quod utique nequit, dum Simonia est contra Jus divinum, sed neque, dum Simonia est contra Jus Ecclesiasticum (in quo casu ille solus & inferior Praelatus non nisi ex commissione illius tacita vel expressa dispensare potest) item sensus non est, quòd manente Simonia tollatur culpa, cum id repugnet; sed quòd datio & receptio pecuniae, quae remanente obligatione legis esset Simonia, non sit Simonia. Qualiter autem Pontifex non soleat facile dispensare hac ratione contra Jus Ecclesiasticum, dicitur paulò infra.

Quest. 112. Quis tollere possit inhabilitatem Simoniaci ad retinendum, vel denuò obtinendum beneficium Simoniace obtentum?

1. Resp. Primò: Praeter Papam potest Episcopus, aliàsve Praelatus dispensare, ut beneficiatus invincibiliter ignorans beneficium Simoniace obtentum, adeoque bona fide à se receptum retinere, aut potius, postquam liberè illud resignavit, de novo ab Episcopo sibi collatum acquirere, si simplex est: Si verò praelatura vel dignitas est, aut curatum, non potest dispensante Episcopo illud retinere, aut de novo acquirere, nisi postquam prius collatum alteri denuò vacaverit. Abb. in c. 22. h. t. Castrop. l. c. n. 3. Pirh. h. t. n. 73. Reiffent. n. 336. juncto n. 337. prout haec habentur cit. c. penult. de elect. & ibi. AA. Quod tamen cap. intelligendum esse asserit Reiffent. de casu quo ob Simoniam ab altero commissam electio alicujus, vel collatio, per Sententiam fuit reprobata aut irrita declarata, ita ut, si in foro externo dicta reprobatio aut declaratio facta non fuerit, Episcopus etiam pro illa vice dispensare possit, ut dignitatem quoque seu beneficium curatum Simoniace, bona tamen fide obtentum retinere possit, aut potius à se prius resignatum de novo obtinere, absque eo, quòd illud interea alteri collatum fuerit.

2. Resp. Secundò: Si beneficium qualecumque per alium obtentum fuit, beneficiato sciente, & tacite vel expressè consentiente, vel etiam ipso met Simoniace procurante, Episcopus nec pro foro interno nec externo dispensare potest, ut Simoniacus talis hujusmodi beneficium retinere, aut idem hac vel alia vice de novo acquirere possit, id-

H que,

que, etiam si Simonia esset occulta, ut Suar. cit. l. 4. de Simon. c. 61. n. 10. § 11. Lessl. l. 2. c. 35. du. 25. num. 140. Castrop. Pith. ll. cit. Reiffenst. num. 339. His non obstante Trident. sess. 24. de reform. c. 6. Ubi quod Episcopus habeat potestatem dispensandi in omnibus irregularitatibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientes, excepta ea, quae provenit ex homicidio voluntario, & absolviendi in foro conscientiae ab omnibus casibus occultis, etiam Papae reservatis. Cum hic casus non comprehendatur dicto privilegio; tum quia non est casus occultus pertinens ad absolutionem sacramentalem, tum quia non est censura aut irregularitas, sed quaedam poena vindicativa Simoniae: à poenis autem omnibus reservatis Papae absolviendi potestas non datur Episcopo per Trident. ut Suar. cit. n. 11. tum denique quia haec poena inhabilitatis post Trident. inducta & reservata Papae. Facultas autem concessa à Trident. non extendit se ad casus nova lege Pontificia reservatos Papae, ut respondit Gregor. XIII. audita relatione congregationis Cardinalium, prout refertur per Farin. tom. 4. decisio. Rota. fol. 77. ubi etiam refertur ipsa sacrae congregat. Declaratio in haec verba: Episcopus, nisi à Simonia occulta absolvi possit, non potest tamen rehabilitare ad beneficium in posterum obtinendum, neque ad ea retinenda, quae per Simoniam occultam retinetur &c. Ex quibus, ut addit Reiffenst. liquet, contrariam Sententiam in praxi nullatenus tutam, & consequenter nullatenus practicandam. Nihilominus tamen Castrop. l. c. n. 4. existimat cum Henriq. l. 13. de excom. c. 56. n. 1. Lessl. Suar. ll. cit. satis probabile esse, Episcopum posse in dicta inhabilitate dispensare, eò quod, ut Henriq. sit quaedam quasi irregularitas. Ad declarationes quoque Cardinalium ait: illis non necessarium standum, ut expressè Sanch. l. 8. de matrimonio d. 2. n. 10. circa finem, uti & Vasquez. in 2. 2. d. 177. c. ult. n. 73. ubi probat declarationes & decisiones Rotae non habere vim legis. Ad haec dictas declarationes Cardinalium facile intelligi posse, de inhabilitate ad beneficia illa obtinenda, de quibus privatus fuit per sententiam. De cætero distinctionem illam quam Castrop. num. 6. dicit afferri à gravibus AA. quod nimirum Episcopo dispensante in impedimento, ob quod collatio beneficii fuit irrita, maneat valida, si collatio pertinet ad ordinarium; secus si spectet ad Pontificem, cui reservata, ait omnino reprobari ab AA. quos magno numero citat.

Quaest. 113. Quis absolvi possit ab interdictione ingrediendi Ecclesiam incursum à Simoniacò ordinante?

Resp. Possè id solum Papam, quippe qui sibi soli reservavit hanc absolutionem. Castrop. l. c. n. 2. in fine. Dum aliàs ab omnibus aliis censuris, si publicae non sint, vel ad forum contentiosum deductae, absolvi possit Episcopus, vi Trid. Sess. 24. de reformat. asserit idem Suar. cit. num. 11. non obstante Bulla Pii V. hanc facultatem prohibente, dum ea, ut idem cum Sa V. Simonia q. 12. & Lessl. l. c. du. 24. n. 134.

Quaest. 114. An & ex quibus causis Papa dispensare soleat in poenis Simoniae?

Resp. Primò: Quamvis ut licitè dispenset, in illis requiratur causa aliqua, sic exigente bono communi & ordinato Ecclesiae regimine;

si tamen sine causa in lege sua dispensaret, & contra eam ageret, non peccatum eum mortaliter, secluso scandalo, aliave extrinseca ratione, & validam esse dispensationem, censet Castrop. l. c. n. 11. citans pro hoc Sanch. l. 8. de dispens. d. 17. n. 28. & d. 18. n. 7. Lessl. cit. c. 35. du. 5. n. 34. Valent. 2. 2. d. 7. q. 5. p. 9. in fin. Rodriq. tom. 1. sum. 2. edit. c. 237. Nav. in sum. c. 25. n. 5.

2. Resp. Secundo: Rarissimè tamen in dictis poenis solet dispensare, etiam si gravissima allegentur causae, teste Pyrrho Corrado versatissimo & summè practico in curia, ut de eo ait Reiffenst. h. t. n. 343. hac allegata hujus difficultatis dispensandi ratione: quod curia Romana summè hoc vitium execrata, & misericordia indignum reputans, ordinaria negatione dispensationis ab illo committendo deterreat. Si tamen quandoque in illis poenis dispenset Papa, reus illius non tantum absolvi ab omnibus censuris, sed etiam dispensatur ab inhabilitate ad idem & alia beneficia retinenda & obtinenda, simulque redditur immunis à restitutione fructuum perceptorum.

3. Resp. Tertio: Inter alias verò causas pro hac dispensatione obtinenda serviunt scandalum in dimissione beneficii timendum, & paupertas supplicantis. Quondam autem vel cum quibus ex istiusmodi causis dispenset, certa regula non extat, unde, ut ait Reiffenst. reus quidem tentare & supplicare potest pro dispensatione, committere tamen debet, num mentem Cardinalium hic & nunc ad petitam gratiam concedendam movere velit.

Quaest. generalis 115. An hoc ipso, quòd Papa inhabili conferat beneficium, censetur cum illo dispensare?

Resp. Affirmativè, si Papae constet esse inhabilem, ne aliàs in vanum & frustra fecisse collationem dicendum sit. Abb. in c. cum in cunctis. §. inferiora. de elect. n. 8. Felin. in c. praeterea. de testam. n. 7. Navar. in opus. de datis & promiss. not. 7. n. 15. Covar. reg. peccatum. p. 2. § 8. n. 9. Molin. tom. 1. de just. tr. 2. d. 92. §. illud animadvertendum. Suar. l. 4. de Simon. c. ult. n. 14. quos citat & sequitur Castrop. l. c. n. 9. Siquidem generale est principium, quòd quotiescumque impedimentum est juris humani, & legislator scienter impedimentum admittit ad actum, praesumatur in eo animus dispensandi, & inducatur vera dispensatio, etsi Legislator seu Princeps potens in eo dispensare, non praemisit causae cognitionem. Ut si Papa scienter admitteret irregularem ad ordines vel beneficia, aut jure humano impedimentum jungeret Matrimonio, vel Rex inhabilem (puta Servum) judicem constituat, Castrop. l. c. cum Sanch. l. 8. de Matrim. d. 4. n. 2. & aliis probantibus id ex L. Barbarius. ff. de officis praesidis. & L. quidem. ff. de rejudicata; Qui & asserunt procedere id ipsum non solum in supremo Principe, sed & in inferioribus Praelatis respectu eorum, cum quibus dispensare possunt. Non tamen etiam supremus Princeps conferendo beneficium inhabili, ab eo aufert absolute inhabilitatem, sed solum pro ea vice, seu ad solum illum casum, & respectu illius beneficii tantum. Castrop. l. c. num. 10. Quemadmodum etiam, ut idem, dum dicitur Clement. unic. de sententia excommunicationis, Pontificem communicando cum excommunicato, non censi illum absolvi ab excommunicatione, nisi id exprimat, id ita intelligendum, ut per hoc non absolvat absolute ab excommunicatione, quod tamen non impedit, quòd

minùs

minus suspendat effectum excommunicationis pro illa vice, ne scilicet excommunicatus peccet communicando cum ipso Pontifice, neve in excommunicationem minorem propter illum actum incidat.

Quest. 116. Quo recurrendum pro petenda & obtinenda absolute & dispensatione à Pœnis Simoniæ, & qualiter concipienda supplicatio?

1. **R** Esp. ad Primum, si Simonia sit publica, adeoque dispensatio necessaria etiam pro foro externo, eaque reservata Papæ, recurrendum est ad Datariam Apostolicam, & supplicatio consignanda summo Datario. Si verò est occulta, adeoque dispensatio necessaria pro solo foro interno, recurrendum est ad S. Pœnitentiariam, inscribendaque supplicatio Cardinali summo Pœnitentiaro.

2. **R** Esp. ad Secundum, in supplicatione præter alia, exprimiendi fructus ex beneficio Simoniacè obrento percepti, & consignandi summo Datario, quamvis, ut Corradus in *prax. dispens. l. 5. c. 9. n. 13. & 14.* Hodiedum super illis consignatis fiat transactio, ita ut ex illis pars tertia vel etiam major remittatur delinquenti, prout visum fuerit, Datario. Dein ut casus unà cum causis dispensandi exactè in ea exprimat, consultum, ut Reiffenst. *h. t. n. 345.* ut his expostis alicui procuratori generali vel alteri bono practico scribat, ut vel ipse supplicationem juxta stylum curiæ formet, vel ab alio practico formari faciat, ne vel ex hoc ipso defectu supplicationis minus aptè ad stylum curiæ conceptæ gratia dispensationis denegentur.

Quest. 117. Quæ forma servanda in ipsa

absolute & dispensatione, ejusque executione?

1. **R** Esp. ad Primum: Ad valorem dispensationis in pœnis Simoniæ, nulla certa forma præscripta, unde, si Episcopus utatur verbis, quæ sufficienter expriment voluntatem dispensandi, censetur hoc ipso validè dispensasse. Castrop. *l. c. num. 8.* quod ipsum in dispensatione Pontificia à fortiore locum habet. Ad abolitionem quoque & dispensationem à confessario ex commissione faciendam, nulla requiritur certa forma præscripta, unde satis est adhibere verba, quæ expriment tolli pœnas. Quamvis tamen ad tollendas censuras, aliasque pœnas adhibendum verbum *absolvo*. Ad tollendam irregularitatem verbum *dispensatio*. Porro formulam, quâ uti potest ad ritè exequendam commissam sibi dispensationem, ponit Reiffenst. *n. 347.* quam lege apud illum.

2. **R** Esp. ad Secundum: De cætero in executione dispensationis Apostolicæ in pœnis Simoniæ in solo foro interno à pœnitentiaria datæ diligenter attendendus & observandus tenor literarum dispensationis, in quibus si circa restitutionem fructuum non dispensatur, injungi solet confessario, ut cum Simoniaco non dispense, priùsquam fructus ex illo beneficio indebitè perceptos in totum restituat, vel si in presentiarum ob ejus paupertatem non potest, se restitutum promiserit, cum primùm poterit, etiam cum aliquali suo incommodo & indigentia. ut Corrad. *l. c. c. 11.* Item non dispense, priùsquam beneficium Simoniacè acceptum dimittat, & novam illius provisionem à confessario per S. Congregationem deputato pro foro conscientiarum obtineat.

TITULUS IV.

Ne Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu aliis relinquunt.

Quest. 118. An & qualiter Prælati vices suas vel Ecclesias sub annuo censu aliis relinquere possint?

R Esp. Cùm Quæstio hæc varios sensus ingerere possit, separando manifesta à minus claris, notandum primò, non venire in hanc Quæstionem; num Prælati ipsas Prælaturas, Dignitates, officia & beneficia Ecclesiastica cedere, & in alios transferre possint pro pretio, sive simul ac semel soluto, sive annuatim certum censum pendendo; constat enim apertè, id Simoniacum esse, ratione spiritualis jurisdictionis, potestatis, administrationis, regiminis animarum illis annexis. Secundò posse ac debere Episcopum Vicario suo Generali committere jurisdictionem suæ diœcesis, præstando illi annum stipendium seu salariam ex camera episcopali absque eo, quòd ipse eam dimittat. Quòd aliud longè est, quàm Episcopum relicta sua jurisdictione, vel potius retentâ illâ habitualiter, ejus exercitium concedere alteri, ac ita illi suas vices, accepto ab eo annuo censu committere, uti olim fuisse consuetudinis constat ex *c. 1. 2. 3. h. t.* quam consuetudinem ibidem Papa vocat enormem, ac reprobat utpote venditionem hujus exercitii in se spiritualis adeoque Simoniam continentem. *Præ-*

R. P. Leur. Jur. Can. Lib. V.

terquam quòd id cedat in gravamen subditorum, dum hac occasione Committarii istiusmodi officiales, ut ultra pecuniam, quam pendere debent Episcopo, lucentur aliquid, faciliè extorquent per fas & nefas à subditis pecunias, ac ita judicia pervertuntur ab iis, loco pœnæ personalis seu corporalis pecuniam ex rebus impositam exigendo; ut cum Abb. in *c. 1. h. t. n. 4.* Azor. *p. 3. l. 12. c. 14. q. 1.* Pirh. *h. t. n. 2.* ob quam rationem prohibetur quoque, *Auth. ut Judices quoquo suffragio.* venditio jurisdictionis temporalis, cum, etsi id Simoniacum non sit, sit tamen turpe & illicitum lucrum. Atque ita etiam in Concil. Trid. *sess. 25. c. 11. de reform.* Sancitum & prohibitum jurisdictiones Ecclesiasticas seu facultates nominandi aut deputandi Vicarios in Spiritualibus locare, uti & illarum conductores eas per se aut alios exercere, ne aliàs concessionem istiusmodi etiam à Sede Apostolica factæ censentur subreptitiæ. Sed neque pro jurisdictionis Ecclesiasticæ locatione facit, quòd pro remissione jurisdictionis, quam in Ecclesiam vel Monasterium aliquod habet Episcopus, is annuam pensionem exigere & recipere posse videatur, vi *c. constitutus h. t.* nam & ipsum illicitum & Simoniacum est, cum paria sint, quòd ad Simoniam concedere & remittere jurisdictionem pro pretio. juxta *c. veniente test. & attest. jundâ Gloss. v. remittere. & c. querelam.*

H 2